Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Res
874

Res 874(2)
T 147858
R 376599
C 195898

Res 874(1)
T 147855
R 376202
C 195893

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

2

Ath Heywood 19-9

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

COMMENTARII IN QVARTVM ANTONII NEBRISSENSIS,

editi à magistro Alfonso Torres Turriculano, amplissimi Diui Isidori Collegii patrono, & eloquentiæ professore in Academia Complutensi.



COMPLVTI,
Ex officina Andreæ ab Angulo.
1561.

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

DOn Phelippe por la gracia de Dios Rey de Castilla, de Leon, de Aragon, delas dos Sicilias, de Ierusalem, de Nauarra, de Granada, de Toledo, de Valencia, de Galizia, de Mallorcas, de Sevilla, de Cerdeña, de Cordoua, de Corcega, de Murcia, de Iaen, Conde de Flãdes y de Tirol, &c. Por quãto por parte de vos el Maestro Torres Cathedratico enla vniuersidad de Alcala, nos fue hecha relacion que vos auiades escrito vn libro llamado Commentarij in quintum & quartum, enlo qual vos auiades ocupado mucho tiempo, y puesto mucha diligencia y estudio, delo qual se tenia por cierto que redundaria en mucho prouecho y vtilidad: y nos suplicastes mandassemos ver y examinar el dicho libro y daros licencia, paraque vos o la persona que nombrassedes lo pudiessedes hazer imprimir o vender por el tiempo que fuessemos seruidos, o como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro consejo se hizo enel dicho libro la diligencia que la pregmatica por nos agora nueuamẽte hecha dispone, y fue acordado que deuiamos mandar dar esta nuestra carta. Por la qual damos licencia y facultad para que qualquiera impressor destos nuestros reynos, pueda imprimir el dicho libro sin que por ello caygan, ni incurran en pena alguna: y despues de impresso mandamos que no se pueda vender ni venda sin que primero se trayga al nuestro consejo juntamente con el original que enel nuestro cõsejo fue visto que va rubricado y firmado al fin del de Francisco del Castillo, secretario del nuestro

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

consejo, para que se vea si la dicha impressión esta conforme al original, y se de licencia para lo poder vender, y se tasse el precio en que cada volumen se ouiere de vender, so pena que si de otra manera se hiziere de caer e incurrir enlas penas cõtenidas en la dicha pregmatica y leyes de nuestros reynos: y los vnos ni los otros no hagades ende al so pena dela nuestra merced y de diez mil marauedis, para la nuestra camara. Dada en Valladolid a xxiiij. dias del mes de Agosto, año del señor de mil y quinientos y cinquenta y nueue años.

El Licenciado Vaca de Castro. El licenciado Otalora.
El Doctor Diego Gasca. El licenciado Villagomez.
Yo Frãcisco del Castillo escriuano de camara de su. M. R. la fize escreuir por su mandado con acuerdo delos de su cõsejo.
R. Martin de Velgara. Martin de Velgara por chãciller.

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Grauiſsimo pariter & eruditiſsimo viro Michaëli Majuelo, Doctori Theologo præſtantiſſimo, inſigni Theologiæ profeſſori, & hæreticorum prauitatis quæſitori, Alfonſus Torres Turriculanus S.

IDEMVS plerosque eorum, qui ſuas vigilias alicuius clariſſimi viri patrocinio conſignatas, in lucem communemque hominum claritatem parãt de manibus emittere, Doctor grauiſsime, & huius Complutenſis Academiæ decus & ornamentum, illud vnum tantùm ſpectare, vt his tota ſuarum lucubrationum ſumma & ratio cõſecretur,

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

à quibus sunt amplissimis beneficijs cumulati: non ijs, quos vident literarũ splẽdore, & sapientiæ magnitudine adeò florêre, vt sapientissimis etiam hominibus lucem eripere, & noctem quandam ac tenebras offundere videantur. Vnde fit, vt multorum scripta in manus hominũ venerint eorum nominibus nuncupata, qui nullum opus otij, nullum solitudinis munus, nulla ingeniorum monimenta posteris reliquerunt, ob quæ vixisse aliquando credantur: quinpotiùs ita in omnibus vitiorum illecebris, & cupiditatum lenocinijs vitam traduxerunt, vt omnis eorum gloria simul fuerit cum corporibus sepulta. Ego verò cumprimùm consilium cepi tibi hos in quartum Nebrissensis commentarios nuncupandi, beneficiorũ, quibus me tibi perpetuò deuinctum mancipatumque reddidisti,

ra-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

rationem habui: quæ adeò multa sunt, vt neque in numerum referri possint, neque pro virium nostrarum tenuitate cõpensari. Nam postquàm mihi primus in hanc scholam datus est ingressus, nunquam cessasti benefacta benefactis coaceruare, donec ad eam magnitudinẽ excreuerunt, vt aliquid potiùs de cumulo decedere, quàm vt vlla accessio fieri posse videatur. Tu primus nostram adolescentiam saluberrimis formasti consilijs, diuinis adhortationibus & præceptis imbuisti, vt ad rigidam virtutis disciplinam ita componeretur, ne blandissimis dominis voluptatibus subderet ceruices: quæ cùm in ætate illa lubrica imperiũ tenêre incipiũt, humanisq; sensibus suauiter eblãdiri, ita dulci quadã iucũditatis commotione hominũ animos perturbãt, vt in omne vitiorũ genus præcipiti quo-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

dam impetu ferantur ſine fræno. Tu primus grandioris iam ætatis aßiduus quidam ſtimulator extitiſti, vt humaniori bus diſciplinis prætermißis, quæ ad vitæ corruptelam, morum deprauationẽ, peccatorum flammas excitandas ſæpißimè feneſtras aperiunt, in ea ſtudia vehemẽtiùs incũberet, quibus animus ad regni cœleſtis cupiditatem exardeſceret: neq; à ſuæ naturæ principijs degenerans adterreſtria hæc & caduca turpiter deuolueretur. Tu primus quoties in honoris et gloriæ concertationem publicè deſcendi, ſi quid fortè ex voto ſucceßiſſet, frequenter adhortabaris, ne rebus proſperè cadẽtibus inſoleſcerem: cùm illud ſit ingeniũ fortunæ, vt quibus exitium molitur, his priùs noua rerũ ꝓſperitate lenocinetur. Quòd ſi rerũ euentus noſtris optatis non reſpondiſſet, identidem etiam monebas,

vbi

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

vbi primùm tui colloquij & sermonis suauitate frui mihi licebat, vt non modò stimulos doloris, sed fulmina etiã ac tonitrua fortunæ vniuersa cõtemnerẽ: quæ cùm eodem loco stare nesciat, tam varias habet mutationes, vt modò hos, modò illos blãdo foueat amplexu, neque eundẽ hominẽ eodem semper fauore prosequatur. Verùm licèt hæc satis magna fuerit nostræ nũcupationis occasio, illa tamen multò maior fuit plusque habuit apud me momẽti, quòd intelligam te iam inde à puero tãta animi cõtentione, tanto mẽtis ardore in hæc diuinæ sapiẽtiæ studia incubuisse, vt post innumeros labores in literis feliciter collocatos, vnus tãdem euaseris, in quo commendãdo nõ tãtùm nostra, sed doctorum etiam omnium debeat industria desudare. Nam in parte illa Theologiæ, quæ cõtentiosa est, & ri

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

xis plena, tantùm emines, vt cùm multi sint apud nostros, qui plurimùm in ea consequenda laboris & industriæ posuerint, & ad magnum laudis & gloriæ cumulum peruenerint, perpauci tamen inueniantur, qui maiore fuerint in ea nominis celebritate, maiore circumfusæ multitudinis applausu, maiore totius vniuersitatis acclamatione versati. Disputas subtiliter, grauiter, acutè, atque ita sine vana verborum profusione in ipsis quæstionum visceribus inhæres, vt inde diuelli non possis, donec veritatis imaginem præsentiũ animis impressam relinquas: ne quorundã simulatione & mendacijs adulterata, miseros auditores in errorum Lernam, & profundum cæcitatis oceanum præcipites trahat. Facis tu quidem, quod verum & numeris o-

nimbus

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

mnibus consummatum Theologum decet, à multorum ingenio abhorrens prorsus, qui tam leui & suspensa manu Theologica tractant sacramenta, vt in re omnium maxima, & in qua tota animorum salus vertitur, sterrere, ac veluti nugas agere videãtur. Hinc factum est, vt omnes cuiuscunque ętatis, & ordinis scholastici, tam qui sacris studijs, quàm qui reliquis artibus intenti sunt, desertis suorum Gymnasiorũ subsellijs, ad te audiendum summa quadam auiditate concurrant, & dum argumẽta proponis, toti pẽdeãt ex tuo ore, tuę disputationis acrimonia, & verborum suauitate deliniti. Iam verò in altera parte Theologiæ, quæ placidũ habet & minimè cõcertatorium dicẽdi genus, tanta laboris pertinacia per multos annos versatus es, vt vtrãq; tam veteris, quàm noui instrumẽti pa

gi-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ginã sepius euolueris, & nihil in sacris Doctoribus intactum reliqueris, quod ad perfectam vtriusque cognitionem cõducere posse arbitrarêris. Vnde diuini numinis beneficẽtia & liberalitate illud tãdem es cõsecutus, vt in sacris cõcionibus, quas ad populũ frequẽtes habes, tãta cum laude, & eorum, qui præsentes sunt, admiratione è communibus suggestis dicas, vt (quod olim de Pericle Athenięsium oratore Græcia prædicabat) tonare, ac fulgurare, & numerosam circũstãtium multitudinem permiscêre videare. Nam cùm sceleratos homines, qui omnia diuina atque humana iura polluere ac profanare solẽt, à vitiorũ sordibus deterres, ita ardes, ita ferues totus, tãto eorũ animos pauore imples propositis impiorũ hominũ supplicijs, vt eos cogas totis artubus & mẽbris cõtremiscere, & da

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

de noua vitę ratione instituēda cogitare. Rursus cùm sempiterna illa futuræ felicitatis gaudia viuis coloribus depingis, tam incredibili immortalitatis spectatione proborũ animos erigis, vt iam iā ex corporum vinculis, tāquam è carcere, euolare, & cum Christo, beatisque spiritibus regnare cōcupiscāt. Et ne quis fortè arbitretur huius tuæ commēdationis magnitudinem intra angustissimos terminos, arctissimaque pomœria cōclusam esse, accedat etiam tuæ laudationi calculus ille, quòd à multis cōsultus soleas aculeos omnes solicitudinum, scrupulosque ex hominum animis euellere, qui ipsos dies noctesque respirare, aut interquiescere nō sinũt. Soleo ego frequēs esse domi tuæ, & cùm tātam hominum turbāte de rebus grauissimis, & ad animorũ otium & trāquillitatem spectātibus cō

su

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

sulentem conspicio, non Doctorem Ma juelo, sed aut alterum Augustinum, aut Hieronymum, aut vnum aliquem ex veteribus illis Theologis præsentem habêre mihi videor. Tanta est respondentis authoritas & religio: tanta eorum quæ respondes veritas, nullis mendaciorum pigmentis aut coloribus fucata. Quæ res vna fecit, vt tui nominis fama, quæ intra huiusce nostræ regionis spatia continebatur, ex his veluti carceribus educta, in amplissimum totius orbis Theatrum multorum sermone tam feliciter fuerit sparsa, vt non homines tantùm priuati, sed Reges etiam ipsi, & qui ad regnorum moderationem in regia curia resident, te per literas quotidie solicitent, & de arduis difficillimisque negotijs responsa petant, quæ vsqueadeò vera sunt

&

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

& certa, vt Apollinis Delphici oraculis habeantur certiora. Quæ tanta in rebus decernendis prudentia, & tempestiua maturitas eo tempore potissimùm illuxit, quo liberalium disciplinarum, ac deinde Theologiæ cathedram moderatus es, tam rara felicitate, vt nunquam plures discipulos, aut melioribus præceptis formatos ex cuiusquam literario ludo, quàm ex tuo, viderit Academia Complutẽsis prodiisse. Celebrat antiquitas Isocratem clarissimum Atheniẽsis Reip. oratorem, quòd ex eius domo, quę egregia eloquentiæ habebatur officina, innumeri dicẽdi magistri extiterint, qui sua nomina apud posteros nobilitata reliquerũt. Verùm tua laus altiùs ascẽdit, cùm vniuersos nõ tãtùm Academię nostræ, sed totius propemodùm orbis angulos, nõ Oratoribus modò, sed Magi

stris

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

stris & doctoribus repleueris, qui in vtrâq; Philosophia, & Theologia possint cum doctissimis quibusque de gloria & nominis immortalitate contendere. Quæ omnia tuarum literarũ ornamẽta cũ ad eorũ aures peruenissẽt, qui singuiari quadã vitæ sanctimonia, diuina prudẽtia, incredibili Christianæ religionis propagãdæ cupiditate, in Lutheranorũ portenta, libidine potiùs peccãdi, q̃ vlla ratione aut authoritate cõficta, iudicij seueritatẽ exercêre solent, rem tanti senatus grauitate dignam sunt arbitrati, si tu vnus ex eorum numero esses, cuius præsentia sanctissimo illi ordini plurimũ esset lucis & authoritatis allatura. Et cùm multi essent in nostra schola literis & morum integritate insignes, qui ad hunc tam excelsum gradum aspirarent, tibi non petenti eum honorem san

ctissimi

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ctissimi patres detulerunt, qui fuit cæteris solicitè & summa quadam importunitate petentibus denegatus. Quod ego diuino consilio factum fuisse interpretor, vt esset inter alios his miseris & calamitosis temporibus, quibus Lutheri satellites æstro quodam perciti, & tædis furiarum ardentibus agitati, sui erroris venenum cunctorum animis & visceribus instillare modis omnibus student, qui se auderet aduersus sacrilegos eorum impetus opponere, furorem coërcere, audaciam frenare, & vi argumentorum conuictos ad animorum sanitatem pertrahere. Prætermitto morum honestatem, vitæ candorem, singularem humanitatem, mirabile in rebus agendis fidei & veritatis desiderium, insatiabilem æquitatis & iustitiæ sitim, suauissimum postremò virtutum omniũ

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

concẽtum & harmoniam. Quæ omnia animi décora tam arcta societate cum literis copulasti, vt meritò tibi de inquirendis aliorum erratis & sceleribus sit mandata prouincia, cuius vita tam est ab omni infamiæ macula, & peccati turpitudine aliena, & ad seuerissimam religionis normam composita. Perge igitur, grauissime Doctor, ad extremum vsque spiritum eisdem, quibus cœpisti, virtutũ & literarum luminibus tuum animum illustrare: & nõ dubito quin sis per Augustissimum Hispaniarum Regem Philippum in altissimum dignitatis locum euehendus: qui postquàm fuit regnorum gubernaculis admotus, non alios, quàm tui similes, in huiusmodi gradu & fastigio collocauit. Accipies igitur hilari frõte hos nostros de Syntaxi commẽtarios, tuo nomini consecratos: nõ quò tua laus,

quæ

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

quæ per se satis est illustris, ex nostra commendatione illustrior efficeretur, sed quò nostra cum tuo patrocinio cõiuncta è tenebris in lucem eruatur, & quæ hactenus in obscuro iacebat mortis legibus subiecta, incipiat iam tandem certissimã immortalitatis spem sibi ipsi polliceri. Bene vale literarum decus: & me, vt semper, ama. Compluti, anno à Christo nato sesquimillesimo sexagesimo primo. Ad Calendas Nouembris.

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Doctiſsimo Bac-

chalario Beltrano Triſtano, Grammaticæ in ſuo Collegio profeſſori, Alfonſus Torres Turriculanus. S.

IMPORTVnis à me precibus efflagitaſti, doctiſſime Beltrane, vt quãdo ampliſſimi huius Diui Iſidori Collegij patronus eſſem, tenererque ex cura moderationis mihi iniuncta, publicis ſcholaſticorum emolumentis & rationibus conſulere, breues quoſdam in quartum Nebriſſenſis cõmentarios conficerem: quibus putida illa, ne dicam barbara, quorundam

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

rundam Grammaticorum præ-
cepta ex noſtra ſchola in ſua ſter-
quilinia relegarentur, & tenera
puerorum ætas à tam graui anno-
tationum mole, oneroſis quæſtio
nibus libera, ad germanam elo-
quentiam, Romani ſermonis ve
nuſtatem, politiores deinceps Mu
ſas formaretur. Quæ tua petitio
tantum mihi honeſtatis habere vi
ſa eſt, vt poſt multam ac diutur-
nam conſultationem, quæ meum
animum in varias ſententias di-
ſtrahebat, non dubitauerim rem
immenſi laboris & difficultatis
plenam intẽtare, & ſeueriſſimam
iudiciorum aleam ſubire, ne tam
honeſtis deſiderijs, & tam pro-
penſæ in communem vtilitatem
voluntati reſtitiſſe, aut aliquo pa

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

cto viderer repugnasse. Volui sum ma quadam accuratione, tam veterum quàm recentiorum libros de Grammaticis præceptis conscriptos: ex quibus, alii tanta erāt verborum luxuria redundantes, tanta præceptionum turba & mul titudine referti, vt non ad rectam puerorum informationem, sed ad perniciem potiùs, & ingeniorum corruptelam excogitati videātur. Alij tam breues & compendiarij, vt nihil dixisse præstitisset, quàm pauca illa profunda quadam caligine & Cimmerijs tenebris inuoluta. Ego verò, qui in his humanitatis studijs iāpridē versatus sum, cùm ex assiduo publicè legēdi vsu, & frequenti experimento didicissem, mediocritatē in rebus omnibus

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

bus, ſed potiſſimùm in tradendis documentis ſolere ab vniuerſis ſcholaſticorum ordinibus cõmendari, in ea re diligentiùs inſudaui, ne his noſtris commentarijs aut nimiùm prolixa, aut nimiùm breuia præcepta continerentur: ne aut nimia rerum copia puerorũ animi obruerentur, aut nimia inopia & orationis ieiunitate, in labyrinthos ducerẽtur inexplicabiles. Eos igitur mediocri quodam ſtylo cõpoſitos, qualem ſcilicet puerilis illa ætas requirebat, tibi offero humaniſſime Beltrane: quos ſi ea, qua ſoles omnia noſtra, humanitate exceperis, ſi ea qua ſoles, cura & animi intentione verſaueris, inuenies (niſi meam opinionem fallit amor) nõ tantùm inde poſſe di-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ſcipulis tuis, ſed publicis etiam ac priuatis totius Hiſpanię gymnaſijs plurimum vtilitatis accreſcere. Bene vale. Compluti, anno à die Chriſti natali milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo. Ad Calendas Nouẽbris.

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Magiſtri Hieronymi Ficęi Toletani, in doctiſſimi Magiſtri Alfonſi Torres authoris commendationem, Dialogiſmus inter emptorem & bibliopolam. Alloquitur Bibliopola.

B. Dic bone quid quæris iuuenis, fors peruenis emptum?
E. Nunquid habes aliquid bibliopola noui?
B. Et tibi quod placeat. E. quodnam? B. perdiſcere paruo
Vt poſsis Latiam tempore Grammaticam.
E. Pol bene, ſed vetus eſt, Laudat ſua munera cerdo.
B. Laudo, nec in laudes vtilitate feror.
Ipſa quidem vulgi vox hoc teſtatur, id ipſum
Audiui doctos dicere ſæpe viros.
E. Ne vulgo, ne crede, aliter ridebere: nanque
Ludicra multifidus dicta popellus amat.
Adde, quòd aſsiduè nulla ratione mouetur:
Quæq; priùs dictis extulit, illa premit.
E. Non verbis opus eſt, vbi res luceſsit: at iſtum
Porge mihi librum venditor. B. ecce lubens.
E. Quis fecit? B. quis? Pieridum linguæq; Latinæ
Gloria, qui Latias nuper adauxit opes.
Hic eſt, quem noſtri moderantem fræna theatri
Fama eſt æternum promeruiſſe decus.
Hic eſt qui latias iuuenes depromere voces
Edocet, hic Græcæ eſt fons genialis aquæ.
Hic eſt, quem Muſæ proprijs aluere papillis,
Atque alitum ſophias edocuere nouem.
Hic eſt (vt breuiter dicam) quem ſuſpicit orbis,
Torres. E. ingenium quale mihi memoras?
Venditur at quanti liber hic? B. mercede puſilla

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Et credo votis fortè minore tuis.
E. At quanti? B. si scire cupis, tibi dixero ad aurem.
E. Si solet hic tanti vendier, en pretium.
Venales tibi sint libri bene compater. B. & tu
Euoluas lætis hunc precor auspicijs.

EIVSDEM IN COMMENDAtionem operis, carmen.

Dum quibus hoc numeris lector studiose volumen,
Sensa quod in spatio continet ima breui,
Laudarem, foret in dubio, quasq; vbere vena
Effundit passim prodigus author opes.
Astitit ecce mihi Phœbus, dixitq; subinde,
Ne dubites, istud stulte manebit opus.
Humanæ non vocis eget, quia Pol bene tritum est:
Vendibili vino non opus est hedera.

IDEM AD LECTOREM.

Qui cupis Antoni quartum perdiscere librum,
Syntaxis placidum si modò quæris iter,
Hunc eme (nec pigeat) lector studiose libellum,
Quem peperit Torres docta Minerua tibi.
Parua licèt, pretiosa tamen sunt munera lector:
Hæc modò qui præstat, pòst meliora dabit.

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

COMMENTARII IN QVARTVM ANTONII NEbrissensis.

VM QVATVOR sint partes præceptiuæ Grãmaticę, Orthographia quę de litera: Prosodia, quæ de syllaba: Etymologia, quę de dictione: Syntaxis, quæ de octo partiũ orationis cõstructione disputat. Superiore libro egit Nebrissensis de litera, & dictione cõpendiosè & breuiter satis: de syllaba copiosiùs in quinto disseret: de ea Grammatices parte quã Græci Syntaxim, nos partium orationis ordinem siue cõstructionẽ vocamus, in hoc quarto libro suscipit disputationem.

Quando igitur de constructione futurus est sermo, non erit à nostro instituto & officio alienum explicare quid sit constructio, & quotuplex sit. Constructio est debita ac legitima dictionum in oratione ordinatio, vt Tempus omnia aperit. Est debita ac legitima ordinatio, hoc est, iuxta leges & regulas Grammaticę.

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ticæ. Dictionum, quoniã vnius dictionis non est constructio, sed aut duarum, vt ego doceo, aut plurium, vt ego doceo Grammaticã. In oratione, quoniam nisi in oratione constructio esse non potest. Vnde apertè colliges hanc non esse constructionem, Diuina sapientia, licèt ibi sit substantiui cum adiectiuo concordia: cęterùm si adieceris, Diuina sapientia incredibiles sui amores in hominum animis excitare solet, iam feceris constructionem.

Est autem triplex, bona, mala, figurata. Bona, est oratio ab omni vitio & incongruitate aliena, vt, Excruciat animum libido. Mala, est oratio nulla ratione neque authoritate excusabilis, vt vir bona Deo diligit: in qua oratione bis peccatum est, tum quia adiectiuum bona cum substantiuo non concordat, tum etiam, quia verbum diligo datiuum pro accusatiuo à tergo regit. Figurata, est oratio quæ licèt primo aspectu vitiosa appareat, ratione tamen & authoritate excusari potest, vt Ego magister doceo. In qua constructione licèt verbum non concordet cum nominatiuo magister, quod nomen est tertię personæ, excusatur tamen hæc improprietas, quoniam verbum semper digniori respondêre debet: prima nanq; persona ordine naturæ dignior est secundâ, & secunda tertiâ.

De accidentibus constructionis, concordantia

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

dãtia, & regimine, nihil in præsentia: quoniã de his, & figuris constructionis, peculiarem faciemus tractatum, postquàm Quartum librum absoluerimus.

Verba partim sunt personalia, partim impersonalia.

Exorditur Nebrissensis quarti libri tractationẽ à verbo, quoniã est totiꝰ orationis veluti forma, sine qua oratio ipsa constare nõ posset: ideo eius finitionem ex tertio libro petamus necesse est, ne verbi definitio ignorata audientium animis aliquid pariat perplexitatis. Est igitur verbum, pars orationis declinabilis, cum modis & temporibus, sine casu, agendi vel patiendi significatiua. Pars orationis declinabilis, vt partes indeclinabiles excludantur. Cum modis & temporibus, vt nomen, pronomen, & participium excipiantur: nam nomen & pronomen prorsus carent modis & temporibus: participium licèt tempora sortiatur, illa tamen habet implicita. Sine casu, ad differẽtiã participii, quod per suos casus inflectitur. Agendi vel patiendi significatiua, nam verbum aliquando actionem significat, vt amo: aliquando passionem, vt amor: aliquando sub vna voce vtrunq; complectitur, vt largior. Quæ definitio de verbis adiectiuis regularibus, non de substantiuis, aut irregularibus

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

laribus intelligi debet. Partitur igitur Antonius verba in personalia, & impersonalia. Personalia sunt, quorum tempora per numeros & personas certas explicantur, vt amo. as. Impersonalia, quorum tempora certis numeris, certisque personis carent, vt pudet. Sed verbi impersonalis consideratione in alium locũ reiecta, de personalibus disserit, quæ à persona, & non à numero nomen acceperunt, quia persona numero nobilior est: cùm actio vel passio quæ per verba personalia significatur, non numero, sed personæ agenti vel patienti inhæreat.

Personalia rursus in quinque genera diuiduntur.

Quæ rursus in quinque genera distribuit, actiuum, passiuum, neutrum, deponens, commune. Quæ partim terminatione, partim significatione, partim constructione discernũtur. Nam quemadmodum genus in nomine est qualitas quędam, qua genus masculinum à fœminino distinguitur, & neutrum ab vtroq; ita genus in verbo est qualitas, qua verbum actiuum à passiuo, passiuum à neutro, & reliquis generibus verborum, tum voce, tum significatione, tum constructione secernitur. Colligitur autem horum quinque generum numerus in hunc modum. Aut verbũ desinit in. o, aut in. or. Si in. o. aut est actiuum

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

uum aut neutrum, vt diligo, seruio. Si in. or. aut solam passionem significat, & est passiuũ verbum, vt diligor: aut solam actionem, & est deponens, vt obliuiscor: aut actionem & passionem simul, & est commune, vt veneror, interpretor. De his igitur ordine ipso, quo distributa sunt, quapossimus perspicuitate disseremus.

De verbo Actiuo.

Actiuum verbum est illud, quod desinit in o. & habet passiuum in. or. & exigit ante se nominatiuum in persona agenti vel facienti, & accusatiuum in persona patienti. Explicemus singulas partes huius definitionis. Desinit in. o. ad differentiam verborum passiuorum, deponentium, & communium, quæ desinũt in. or. vt legor, recordor, experior. Et habet passiuum in. or. ad differentiã verbi neutrius ea voce carentis. Et exigit ante se nominatiuũ: hoc commune est verbis omnibus personalibus in modis finitis, vt nominatiuũ exigant ante se (dixi in modis finitis, nam infinitiuus modus exigit ante se accusatiuum in voce actiua loco personæ agentis, in passiua verò, patientis.) In persona agenti vel facienti: hoc proprium est verbi actiui, vel neutrius actionem significantis, & deponentis Nam reliqua verborum genera possunt etiã passionẽ signi-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ſignificare,exiguntque ante ſe nominatiuum pro perſona patienti,vt exulo,criminor. Aliquando loco nominatiui orationem exigit, vt aſsiduas ad Deum fundere precationes diuinam mitigat indignationem. Quod verò dixit, in perſona agenti vel facienti, non ſine ratione adiectum eſt. Nam differentia illa inter agere & facere, non à Philoſophis ſolùm ſed ab ſtudioſis etiam linguæ Latinæ obſeruatur: vt facere ſit rerum in materiam exteriorẽ tranſeuntium, vt feci domum, feci imaginẽ: agere ſit rerum immanentium, vt ago fortiter,ago prudenter. Erit igitur (ſi his vocibus rigidè vtamur) perſona faciens,quæ opus corpore exercet, agens verò quæ animo: verùm communiori vocabulo perſona agens ab authoribus appellari ſolet. Et accuſatiuũ in perſona patienti,vt mater tenerrimè filios amat: vel orationem pro accuſatiuo,vt bonorũ tria eſſe genera nullus ſanę mentis ignorat.

Hęc definitio traditur de verbis integris & regularibus, non autem de defectiuis aut irregularibus, inter quæ reperies quædam, quę exeunt in.o.& non in.or.vt audeo,volo, facio,do,quæ in voce paſsiua non habent,audeor,volor,facior, dor. Alia verò deprehendes,quę vtrâq; voce carent,& nec vocem actiuam in.o. neque paſsiuam in.or. habent, vt odi,noui,cœpi,memini. Quę omnia verba, licèt

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ba, licèt mutila ſint, & ſuis temporibus orbata, inter actiua tamen numeranda ſunt, quandoquidē cū accuſatiuo conſtruūtur. Sunt enim quędam verba actiua voce tantùm, vt vapulo: alia ſignificatione tātùm, vt ſequor: alia voce & ſignificatione ſimul, vt amo: alia poſtremò ſignificatione & conſtructione, vt ſuperiora illa, odi, memini, noui.

Eius complures ſunt ſpecies.

Actiuum verbum in ſex ſpecies diuiditur (ſiue formas, ſiue claſſes, ſiue ordines, ſiue gradus malis appellare.) Neque exiſtimes hîc ſpeciem ab Antonio accipi more Dialectico pro ea, quę prædicatur de pluribus numero differētibus, vt homo, leo: ſed pro collectione verborum eandem habentium conſtructionem, & ab aliis adeò diuerſam, vt hoc ſolo nomine à reliquarum claſsium verbis differant. Nam licèt verba actiua omnia in hoc conueniant, vt à fronte ex æquo nominatiuum requirant agentis, à tergo accuſatiuum patientis, quia tamen alios atque alios vlteriores caſus præter accuſatiuum accipiunt, propterea in diuerſas ſpecies diſtrahuntur: & quia ſex modis à tergo conſtructa reperiuntur, ideo in ſex ſpecies paſsim diſtribui ſolent. Quæ accuſatiuo tantùm contenta ſunt, primam conſtituunt ſpe-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ciem. Quæ præter accusatiuum, genitiuum vel ablatiuum desiderant, secundam. Quæ datiuum, tertiam. Quæ alterum accusatiuum, quartam. Quæ ablatiuum sine præpositione, quintam. Quæ cum præpositione A, vel, AB, sextam: quas sigillatim percurremus.

De prima classe verborum Actiuorum.

Verba huius speciei cum accusatiuo tantùm construuntur, siue accusatiuus ille rem significet, vt diligo res honestas, siue personã, vt amo te. Quòd si verba huius speciei præter accusatiuum alios casus regãt, ad alias species migrabunt. Terentius in Phormione, Neque quomodo vxorem amittam à me inuenio, neq; vti retineam, scio: vbi amitto, quod est primæ speciei, efficitur sextæ. Item si verba sequentium classium, casibus, quos post accusatiuum regunt, priuentur, efficientur huius speciei: vt hominis negligentiam accuso, suasi vtilia, doceo artes liberales, satiaui animum, omnia tua negotia libens suscipio. Si verò cum nullo casu construantur, fient absoluta, vt adolescens affectu quodam cæco & immoderato amat. Aliquando hæc verba duos accusatiuos recipiunt, si ad eandem rem pertineant, vt facio te arbitrum. Verba tamen quartæ speciei duos accusatiuos habent pro

diuer-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

diuersis rebus acceptos, vt doceo te Grammaticam: aut per figuram Appositionem, vt verso Ciceronem Romanæ eloquentiæ parentem: aut per Enallagen appellatiui pro adiectiuo, vt præsta te virum, id est fortem: aut denique prepositione interiecta, quorum alter à præpositione, alter à verbo regatur. Liuius, Ibêrum copias traiecit.

De casibus communibus.

Illud preterea notandum est, verba huius speciei, quemadmodum & reliqua, præter accusatiuũ, quẽ sua natura exigunt, posse etiã recipere casus, quos Grammatici cõmunes siue generales appellant, qui eò dicti sunt communes, quòd speciẽ priuatã non constituant, sed ab omnibus verbis cuiusuis generis, cuiusuis speciei, cuiusuis naturæ regi possint. Sunt autẽ septuplices, Datiuus damni aut cõmodi, quẽ per accusatiuum media præpositione In vel Ad interpretari solemus, vt tibi soli sapis, id est, in tuam vel ad tuam vtilitatem. Terentius in Adelphis, Si quid peccat Demea, mihi peccat, id est in meum vel ad meum detrimẽtum. Genitiuus estimationis, vt pluris facio famã quàm pecuniã. Ablatiuus pretii, vt hic patriam pecunia prodidit. Effectiuus instrumenti, vt nutrix infantem lacte alit. Accusatiuus vel Ablatiuus tẽporis vel

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ſpatii, vt ſtudui Grammaticæ quatuor annos vel annis, laxaui domum viginti paſſus vel paſsibus. Caſus cum præpoſitione, vt iaceo ante pedes, doceo in gymnaſio. Poſtremò vrbium & oppidorum propria, licèt aduerbialiter ponantur in oratione, poſt quoduis verbum ſuccedere citra præpoſitionem poſſunt, vt ſum Romæ, eo Romam, venio Roma, trãſiui Roma.

Huius ſpeciei verba adeò varia ſunt, vt in certum numerum colligi non poſsint. In hoc tamen verbo Capio, illa proprietas notanda eſt (vt author eſt Valla lib. 6. Elegant. cap. 3.) habere ſcilicet reciprocum quendam vſum, cum dictionibus præſertim ad delectationem pertinentibus: vt idem ſit cepi voluptatem, & voluptas cepit me: cepi delectationem, & delectatio cepit me: ſed vſitatiùs captus ſum delectatione. Notabis preterea, idem verbum quando ſignificat continêre, id ſuo iure exigere, vt locus qui continet, ponatur in nominatiuo, res quæ continetur, in accuſatiuo: vt ærarium vix tantam pecuniam capiet, non è conuerſo. Cicero oratione ſecunda de lege Agraria, Vix iam videtur locus eſſe, qui tãtos acceruos pecuniæ capiat.

De ſecunda claſſe actiuorum.

Verba huius ſpeciei præter accuſatiuum patien-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

tientem, petunt etiam à tergo genitiuum vel ablatiuum, vt accuſo te homicidii vel homicidio. Genitiuus tamen eſt proprius huius ſpeciei: nam ablatiuus ſine præpoſitione reducitur ad quintam: ſi verò ſit cum præpoſitione, ad ſextam. Propria autem huius ordinis verba quincuplicia ſunt, implendi, accuſandi, damnandi, emendi, eſtimãdi. Cum verbis vacuandi, defendendi ſiue purgandi, abſoluendi, vendendi, quę ſunt ſuperioribus contraria: nam contrariorum eadem ſolet eſſe diſciplina & pręceptio. De quibus omnibus gradatim eſt nobis diſſerendum, vt tantam rerum confuſionem, quæ in hanc ſpeciem à quibuſdam intrudi ſolent, ad certam methodum redigamus.

De verbis implendi.

Verba implendi qualia ſunt, impleo, repleo, compleo, refercio, poſt accuſatiuum, genitiuum vel ablatiuum ſine præpoſitione poſtulant: vt impleui nauim frumento, referſi apothecam vino. Notat tamen Laurentius Valla lib. 3. cap. 33. addendam eſſe aliquando neceſſariò præpoſitionem, DE. Quando ſcilicet ablatiuus ille generalitatem, ſeu rerum diuerſitatem ſignificat, vt Impleui nauim de omni genere frumẽti, referſi apothecam de va

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ria natura vinorum: neque enim sic loqui licet, Impleui omni genere frumenti, & refersi varia natura vinorum. Cuius rei eam esse causam existimo, ne sensus orationum absurdus & ineptus reddatur. Quid enim aliud significaret impleui nauim omni genere frumenti, & apothecam varia natura vinorũ: quàm me omni totius orbis frumento nauim implesse, & in apothecam omnia vina ex omnibus mũdi regionibus cõportata infudisse? Quod quãtùm cum veritate pugnet, ipse videris. Additur igitur præpositio, DE, vt generalitas illa, siue rerum diuersitas aliquantùm restringatur. Cuius præceptionis Cicero. lib. 1. de Orato. nobis etiam author est, Querebat (inquit) cur de proœmiis, & de epilogis, & de huiusmodi nugis referti essent eorum libri. Hîc ne quaquã licuisset sine præpositione loqui: non enim libri illi referti sunt proœmiis & epilogis, sed præceptis proœmiorũ & epilogorũ. Sicut in superioribus, non est nauis impleta omni genere frumenti, sed frumento omnis generis: neque apotheca referta omni natura vini, sed vino omnis naturæ.

Hinc colliges, in huiusmodi orationibus germanum sensum seruari posse, si cum prepositione loquaris, aut in hunc modum. Impleui nauim frumento omnis generis, & apothecam vino omnis naturæ.

Nomi-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Nomina impletionem significantia, vt refertus, plenus, apud Ciceronem cũ genitiuo frequentiùs constructa reperiuntur, quemad modum implẽdi verba cũ ablatiuo. Cice. pro lege Manilia, Referto prædonum mari. Idẽ actione. 7. in Verrem, Procedit in medium, vini, somni, stupri plenus.

De verbis Accusandi.

Verba accusandi, qualia sunt, accuso, ago, postulo, arcesso, insimulo, arguo, noto, alligo, astringo, post accusatiuum, cum genitiuo vel ablatiuo sine præpositione, aut cum ea construuntur: vt accuso te furti, furto, vel de furto. Neq; eorum opinio vera est, qui vitia speciatim dicta genitiuo tantùm, generatim posita ablatiuo debere exprimi contendunt. Quasi sic loqui necessariũ sit, Accuso te furti, sacrilegii, parricidii: nõ furto, sacrilegio, parricidio, quia furtum, sacrilegium, parricidium crimina sint specialia. Item accuso te crimine, peccato, scelere: non criminis, peccati, sceleris, cùm crimẽ, peccatum, scelus, nomina sint peccatorum generalia. Atqui hos Grãmaticos falli, docet hic locus Ciceronis ad Atticũ lib. 7. Damnasse enim sceleris hominẽ amicũ Reipublicæ causa videretur. Item ille pro Rabirio perduellionis reo, An non intelligis, primùm quos homines, & quales viros mortuos summi sceleris arguas? Quibus locis nomina in-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

certa peccatorum ponuntur in genitiuo. Nomina autem peccatorum certa & specialia locari posse in ablatiuo, testis est Plautus, Ita eũ furto alligat. Item Plinius naturalis historiæ lib.18. Necari iubebant grauiùs, quàm homicidio conuictum.

Sunt tamen certa nomina, quæ post huiusmodi verba, non nisi in ablatiuo poni soleãt cum præpositione, vel sine ea, repudiato prorsus genitiuo: quia sic doctorum hominum vsu & consuetudine receptũ est. Qualia sunt huiusmodi partitiua, vter, vterque, neuter, alteruter, alter, alius, ambo: quibus accedunt omnis, nullus, & superlatiua plurimus, maximus, vt in sequentibus exemplis videre est. Vtro hunc hominem accusas? non vtrius. Itẽ accusásne hunc furti an sacrilegii, an de vtroque, an neutro, an alterutro, an nullo, an altero, an alio, an ambobus, an de omnibus, an maximo ex his? Item de plurimis accusatus est, non plurimorum.

Notabis, cum verbis accusandi hos genitiuos tanti, quãti, pluris, maioris, & similes, posse recipere substantiuorũ consortiũ, vt quantæ pecuniæ condemnasti? tantę summæ damnaui, quantæ postulasti. Liuius Decadis quartę lib. 8. ad finem, Sed nec tantum redactũ est, quantę summæ damnatus fuerat.

Item notabis, in verbis ad accusationem crimenque

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

menque pertinentibus, tres illas solennes Grā maticæ regulas violari. Quo casu quæreris, eo dem respondere teneris, vt accusas hunc furti, an sacrilegii? respōdebis, de vtroque, aut de neutro. Exponens & expositum debent esse in eodem casu: in eodem exemplo, de vtroq; hoc est furti, & sacrilegii: de neutro hoc est, neq; furti, neq; sacrilegii. Coniūctio copulatiua debet similes casus cōnectere, vt arguā te homicidii, & adulterii, & de plurimis aliis: nō dices plurimorum.

De verbis Damnandi.

Verba damnandi eandem cum verbis accusandi constructionem habent, nam aliquando construuntur cum genitiuo. Cicero in Rhetoricis ad Herennium, Maiores nostri si quando peccati mulierem damnabant. Aliquando cum ablatiuo sine præpositione. Idem in Verrinis, Ego hoc vno crimine illum cōdemnem, est necesse. Aliquando cum præpositione. Idē secunda Philippica, Cuius etiam familiares de vi condemnati sunt. Sic etiam dicimus, damnare aliquem capitis, capite, siue de capite: repetundarum, siue de repetūdis: ambitus, sine de ambitu. Idem iudicium est de verbis absoluendi, vt absoluo te iniuriarum, vel de iniuriis.

De verbis Pretij.

Non desunt Grammatici, qui asserant, ver

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ba pretii & æstimationis non esse huius classis, sed primæ, quòd ablatiuus pretii, & genitiuus æstimationis sint casus communes, nullique verborum generi denegentur. Ego tamen sic existimo in hoc ordine esse reponenda, & ablatiuum pretii, & genitiuum æstimationis cum reliquis verborum generibus casus esse communes: verbis verò pretii, & æstimationis proprios esse, & peculiares, ac propterea priuatam cum his constituere speciem. Omnia igitur verba pretium significantia, aut quorum actus pretio siue mercede efficitur, qualia sunt, emo, comparo, mercor, vendo, venundo, distraho, loco, conduco, sto, consto, paciscor, doceo, ago, & si qua sunt alia similis horum significationis, regunt post se nomen, quod pretii rationem obtinet siue valoris, in ablatiuo. Verg. 6. Æneid. Vendidit hic auro patriam. Liuius, Multo sanguine ac vulneribus ea Pœnis victoria stetit.

Exceptiones præcepti generalis.

Sunt tamẽ triplicia nomina adiectiua, quæ cùm verbis pretii iunguntur, diuersam sequuntur rationem: nam eorum quædam ponuntur in genitiuo, alia in ablatiuo, postremò alia neque in genitiuo neque in ablatiuo, sed fiunt aduerbia, vt per ea cum verbis pretii loqui liceat. Agamus de primis. Excipiun-

tur

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

tur vndecim nomina adiectiua, quæ si secũ appellatiuum nomen adiunctum non habeant, in genitiuo poni semper solent. Sunt autem simplicia quatuor, tanti, quanti, pluris, minoris: composita septem, quantiuis, quantilibet, quanticunque, quantidem, tantiuis, tantidem, tantilibet. Vt res tanti valet, quanti vendi potest: item quam rem ego pluris, tu minoris emisti, & sic de reliquis. Hæc autem nomina adiectiua in genitiuis ponuntur substantiuè, atque ita si illis adiungas appellatiuum nomen, quo pretium indicatur, orationem conuertes in ablatiuum, nam in genitiuis non admittunt in consortium nomina substantiua: neque enim dices, Mercatus sum equum tanti pretii, sed tanto pretio: neque minoris pretii, sed minori pretio. Excipitur tantidem, quod in ablatiuum resolui non potest, quia duos casus tantùm habet, tantundem, & tantidem. Nec liceret sic resoluere, Emi prædium tantidem, quanti tu, id est, tanto dem pretio: sed sic, eodẽ pretio, aut tanto eodem pretio: quam rationẽ sequitur quantidem, si in vsu sit.

Sunt tamen in his genitiuis multa scitu dignissima, nam tanti & quanti & reliqui genitiui aliquando ad pretium non referuntur, sed ad aliquid, quod magni ponderis sit & æstimationis: vt in eo versu Ouidii, Vix Priamus tan

ti,

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ti,totaq; Troia fuit. Et tunc licebit loqui per genitiuum cum nomine substantiuo: vt non est tanti pretii vestis,quanti tu ducis. Simili forma loquendi vsus est Terentius in Andria, Videtur esse quãtiuis pretii. Item Sallustius in Iugurtha, Existimate facta, an dicta pluris sint pretii. Aliquando tanti & quãti neque ad pretium,neque ad æstimationem referuntur, sed quantitatem,aut exclusionem important, & tunc non reguntur in genitiuo, sed vtimur his vocibus tantum & quantum: vt tantum operæ posui in studiis, quantum necesse fuit.

Pluris item & minoris, cum ablatiuo ex vi comparationis construi possunt. Plinius.35. Naturalis Historiæ, Neminẽ minoris docuit talento. Iungũtur etiam his ablatiuis,fide,spe, opinione,solito,dicto,æquo,iusto:vt pluris opinione librum emi, minoris solito mercatus sum librũ. Asciscũt præterea sibi aduerbia illa, tantò,quãtò,eò,quò:vt tantò pluris,quãtò minoris:eò pluris,quò minoris. De genitiuo maioris nulla mentio, quia rarus est eius vsus apud authores. Polus his vndecim genitiuis addit duos alios,æris, & centussis, quòd legerit apud Columellã.lib.3. Quæ vulgus parui æris posse comparari putat. Item apud Marcũ Varronem, Satyra de Eduliis, Pistorem qui norunt, volunt emere millibus centum, te qui no-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

nouit, nemo centuſsis. Tu verò id, quod ab authoribus rariſsimè vſurpatum eſt, ne ad imitationem tibi proponas, ſed loquere cum his nominibus per ablatiuum in hunc modum, Paruo ære, centuſsi, decuſsi: aut per pluralem, centuſsibus, decuſsibus.

De adiectiuis, quæ ponuntur in Ablatiuo.

Sunt ſecundò alia nomina adiectiua, quæ cum verbis pretii ponuntur in ablatiuo, quibus addere appellatiuum, vel demere pro arbitrio poſsis: magno, maximo, paruo, minimo, multo, plurimo, paulo, pauco, nimio, immenſo, duplo, triplo, vili, caro: vt magno vel paruo mercatus ſum, vel magno vel paruo pretio mercatus ſum. Terentius in Eunucho, Quid agas, niſi vt te redimas captũ quàm queas minimo? ſi nequeas paululo, at quanti queas, & ne te afflictes. Duobus tamen poſtremis, caro, & vili, addi appellatiua nõ ſolent: vt caro, aut vili emi: non caro, aut vili pretio.

De adiectiuis quæ fiunt aduerbia.

Sunt poſtremò quatuor comparatiua, quæ neque in genitiuo, neque in ablatiuo, vt ſuperiora, cum verbis pretii ponuntur, ſed loco eorum aduerbia ex ſe ipſis facta ſuccedunt, carius, vilius, melius, peius: vt cariùs, aut viliùs emi, non carioris, aut vilioris.

Tria obſeruatione digna.

Tria ſuperſunt annotanda, ne quicquã eorum

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

rum prætermittamus, quæ necessaria sunt: verbum scilicet valeo, cum accusatiuo & ablatiuo construi, vt hic liber valet tres nummos argenteos, vel tribus nummis argenteis. Et numerum, pondus, ac mensuram, in huiusmodi verbis, vel accusatiuo cum præpositione In, vel ablatiuo cum præpositione Pro, notari. Cicero in Verrem, Quid ergo, in singulos sestertiis millibus damnari mauultis? Idem pro Marco Fonteio, Titurius Tolosæ quaternos denarios in singulas vini amphoras portorii nomine exegit. Rursus Idem in Verrem, Ipse pro tritici modiis singulis ternos ab aratoribus denarios exegit. Postremò notabis, in verbis pretii quemadmodum in verbis accusationis, tres illas regulas, quarum in superioribus meminimus, frangi, Quo casu quæreris: vt quanti emisti pileum? respondebis, quatuor argenteis nummis. Exponens & expositum debent. &c. vt tanti, id est, tanto pretio. Conuunctio copulatiua: emi equum centũ nũmis aureis, & pluris. Quæ regula etiã cum nominibus & pronominibus possessiuis violatur, domus materna & patris, domus mea & fratris: item in verbis impersonalibus primi ordinis, vt mea interest arq; discipulorũ in humanioribus disciplinis diligenter elaborare.

De verbis Aestimationis.

Ver-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Verba æstimandi, qualia sunt æstimo, curo, puto, facio, consulo, duco, pendo, & habeo cõstruuntur cum ablatiuo: vt æstimo centum aureis nummis, non facio asse. Tamen cum superioribus adiectiuis, tantus, quantus, plus, minus & reliquis, construũtur cum genitiuo: vt tanti facio, quanti tu, pluris aut minoris facio, quàm tu. Et præter hos, regunt etiam sequentes genitiuos, magni, maximi, parui, minimi, multi, plurimi, nauci, flocci, pili, teruncii, huius, nihili, æqui, boni: qui omnes genitiui verbis solùm æstimationis iunguntur. Vt parui siue magni pendo, flocci facio, nauci facio, ne teruncii quidem, aut huius facio. In tribus tamen postremis genitiuis nihili, æqui, & boni notabis, licere scilicet aliquando loqui per ablatiuum nihilo cum præpositione Pro, satis ex more Ciceronis, cum verbis habeo, duco, puto, sum: vt pro nihilo habeo. Cicero pro domo sua, Pro nihilo habenda est adoptio contra omne ius facta. Pro nihilo duco. Idem in Verrinis, Pro nihilo ducere alios præ se. Pro nihilo puto. Idem pro Cecinna, Quæ cadere in hominem possunt, despicere, ac pro nihilo putare. Pro nihilo esse. Idem pro Marcello, Præterita voluptas pro nihilo est. Persius cum pendo vsus est, prima Satyra, Ten' Cirratorũ centũ dictata fuisse pro nihilo pendas? Æqui & boni, vtimur cum verbis facio

&

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

& consulo: vt æqui bonique fac siue consule adhortationem meam, id est in bonam partẽ accipe. Aliqui iungunt genitiuis superioribus genitiuum assis, ducti duabus authoritatibus: quarũ prior est Vergilii in Priapo, Non assis faciũt, euntque recta. Posterior Catulli, Omnes vnius æstimemus assis. Verùm per hoc nomen elegantiùs & politiùs multò loquimur per ablatiuum, quàm per genitiuum: per reliqua verò semper loquimur per genitiuum. Sunt qui inter verba huius classis numerent laudandi & admonendi verba, quòd videant, ea aliquando cum genitiuo, aliquando cum ablatiuo constructa. Verùm fallũtur, nam verba laudis, siue vituperationis sunt primæ speciei: verba admonitionis, quartæ. Non nego ex varia constructione solêre verba mutare speciem, cæterùm hæ sunt classes propriẹ horum verborũ, & ex his ad alias migrare solent.

De tertia classe Actiuorum.

Verba tertiæ classis præter accusatiuum patientem, postulant datiuum acquisitiuum, in quo persona acquirens aliquid reponatur: vt do tibi pecunias. Vnde à veteribus Grammaticis, huius speciei verba acquisitiua sunt appellata. Qui datiuus licèt damnum, aut commodum videatur significare, non regitur ab his verbis vt casus communis & generalis, sed vt

pro-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

proprius, & peculiaris, vt qui tertiam ſpeciem conſtituit. Non nego poſſe recipere caſus generales, poſtquàm eorum natura fuerit expleta, vt Prætor panes diſtribuit pauperibus propria manu in foro. Nam (vt id ſemel præcipiamus, ne audientium capita crebra eiuſdẽ præcepti repetitione obtundamus) caſus generales nulli verborum generi, cuiuſcunque ſint formæ aut naturæ, negari poſſunt. Hic idem datiuus, ſi per vocem paſsiuam conuertatur oratio, manêre perpetuò debet, & nominatiuus in ablatiuum cũ præpoſitione. A. vel. Ab. conuerti debet, non in alterum datiuum, vt do tibi pecunias, pecuniæ dantur tibi à me: nõ tibi mihi. Quod fieri ſolet ad euitandam Amphibologiam: neſciremus enim, vter datiuus eſſet perſona agens. Verùm cùm ſimilis ambiguitas in oratione non fuerit, rectè nominatiuus conuerti poteſt in datiuum, vt cani porrigis oſſa, oſſa porrigũtur tibi cani. Tũc enim nullus dubitat, datiuum tibi, agentem perſonam eſſe. Hæc ſunt generalia huius claſsis precepta, modò ad formas verborum particulares deſcendamus.

De multiplicibus verbis Tertiæ claſsis.

Adeò multa ſunt huius ſpecieiverba, vt certa de his regula tradi non poſsit. Cæterùm percurramus precipua. Sũt VERBA DANDI, vt do, dono, tribuo, trado. MITTENDI,

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

vt mitto, ſcribo. IVBENDI, vt iubeo, impero, præcipio, mando. SVADENDI, cum compoſitis, vt ſuadeo, perſuadeo, diſſuadeo. PRÆPONENDI, poſtponendi, æquādi: vt prępono, præfero, poſthabeo, poſtpono, æquo, adæquo, ęquiparo. MVTVANDI, vt mutuo, loco cōduco. COMMITTENDI, vt cōmitto, cōmendo, credo. Poſtremò verba cum his præpoſitionibus, Ad, In, Ob, Sub, cōpoſita, vt adiungo, impono, offero, ſubiicio. In quibuſdā tamen verbis ex his, ſunt aliqua animaduerſione digna circa conſtructionem. Neq; enim animus eſt, verborum differentias, & ſignificationes varias vocabulorum ſigillatim percurrere, ne videar (vt multi noſtri tēporis Grāmatici in bonorum ingeniorum perniciem fecerunt) Laurentios, Calepinos, Perottos, linguæ Latinæ Theſauros, & reliqua dictionaria compilaſſe, & tot verborum ſignificationibus recenſendis puerorum ingenia turpiter obruiſſe.

De Verbis Dandi.

Hoc verbum do, præter naturalem conſtructionem accuſatiui & datiui, regere ſolet accuſatiuum mediis illis præpoſitionibus, In, Ad, Inter. Vt Terētius, Hanc mihi in manum dat. Item, literas tabellario ad aliquem dare. Item obſides inter ſe dare. Eſt, cùm poſt datiuum, ablatiuum regit cum his præpoſitionibus,

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

bus, A, vel Ab, De, In: nempe cùm aliquid damus alicui ab aliquo. Plautus in Captiuis, Sequere me, viaticum vt dem à Trapezita tibi. Cicero ad Atticum lib. 7. Qui tantis de rebus huic mandata dederit. Plinius, Hoc etiam in mandatis dedit. Est, cùm duos datiuos regit, quorum posterior per accusatiuũ cum, In, vel Ad, exponitur: cum his verbis potissimùm, do, verto, duco, habeo, adscribo. Vt dare laudi, dare vitio, id est in laudem, vel in vitium: idem de reliquis dicatur.

De Verbis Mittendi.

Hoc verbum mitto, præter constructionẽ accusatiui, loco datiui regit alterum accusatiuum cum Ad, vt mittere alicui literas, vel ad aliquem: scribere alicui, vel ad aliquẽ. Eandem naturam habent iungendi verba, vt se sceleratis hominibus adiungere, vel ad scelera tos homines. Cicero in Philippicis, Cęsar se ad neminem adiunxit.

De Verbis Iubendi.

Iubeo cum accusatiuo olim construebatur. Plautus in Aulularia, Aut si respexeris, donec ego te iussero. Item Quintilianus, Pater me iussit. Solet etiam satis eleganter construi cum accusatiuo, quando significat legem promulgare, aut magistratum creare: vt legem iubêre, consulem iubêre. Cicero pro Cornelio, Populus Romanus legẽ iussit de ciuitate trib uẽda.

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Idem in Philippicis, Cęsar ostendit se priusquàm proficisceretur, Dolabellam Consulem esse iussurum. Aliquando cõstruitur cum accusatiuo, & datiuo, & est huius speciei, vt iubeo tibi rem factu facilem. Aliquando cũ duobus accusatiuis, & reducitur ad quartam. Cicero. 13. Familiarium, Literæ, non quæ te aliquid iuberent, sed commendatitiæ. Si cum solo datiuo construatur, efficitur neutrum secũdæ classis: vt malè res agitur cùm inferiores superioribus iubent.

De Verbis Æquandi.

Æquo, si significet æqualem esse, regit accusatiuum: vt rebus gestis Herculem æquare, id est, æqualem esse Herculi. Si significet ęqualẽ facere, accusatiuum & datiuum, & est huius classis: vt Alexandrum Herculi æquare, id est, æqualem Herculi facere.

De Quarta classe Actiuorum.

Verba quartæ classis duplicem accusatiuũ regunt, alterum quidem principalem ex vi trãsitionis, alterum minùs principalem ex natura verbi: & accusatiuus principalis non constituit speciem, quum is sit omnibus verbis actiuis communis, sed minùs principalis est proprius casus huius speciei. Nam eam primùm constituit: deinde facit, vt à reliquis classibus differat, vt doceo discipulos Grammaticam. Cæterùm hi duo accusatiui, quos hæc verba exi-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

exigunt, debent pro diuersis rebus accipi: nam bene alia verba regunt duos accusatiuos ad eandem rem pertinentes, siue pro eâdem re acceptos, vt voco te hominem, præsta te hominem.

Sed tria hîc notes oportet. Primùm, quis dicatur accusatiuus principalis, quis minùs principalis. Deinde, quare hæc verba dicantur significare transitionem vehementissimam. Postremò, quo pacto in his verbis fiat conuersio vocis actiuæ in passiuam.

Circa accusatiuũ principalem & minùs principalem, duplex fuit quondam Grammaticorum opinio. Alii dixerunt, eum esse accusatiuum principalem, qui significaret personam: minùs principalem, qui significaret rẽ. Sed decepti sunt, nam in hac oratione, Doceo psittacum voces humanas: psittacum, accusatiuus principalis est, & personam non significat. Alii præceperunt, eum debere dici accusatiuum principalem, qui rem animatam significaret: minùs principalem, qui rem inanimem. Hi etiam in similem errorem prolapsi sunt: nam in hac oratione, Induo truncos hostilia arma: truncos, accusatiuus principalis est, & rem animatam non significat. Erit igitur ex nostra sententia accusatiuus principalis, in quem transit, & dirigitur actio verbi, & rem significat recipientem:

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

minùs principalis, in quem actio verbi nõ dirigitur, & rem significat receptam. Vt in hac oratione, Magister docet discipulos Grammaticam: docendi actio ad discipulos refertur, ac propterea, discipulos, erit accusatiuus principalis: Grammaticam, erit minùs principalis, quia docendi actio ad Grammaticam non refertur, non enim magister Grammaticam instituere vult, sed discipulos.

Vt secundum expediamus, notare oportet triplicem esse transitionem, vehementem scilicet, debilem, atque vehementissimam. Transitionem vehementem significant verba actiua primi ordinis, quæ accusatiuum tantùm regunt. Debilem verò verba neutra, quorum actus in accusatiuum non transit. Vehementissimam autem verba quarti ordinis, propterea quòd eorum actus tanti sit vigoris, vt in duplicem accusatiuum transire valeat. Hæc eò notare libuit, ne ignotum esset scholasticis, quæ esset transitio vehementissima, quam hæc verba significare dicuntur.

In conuersione autem vocis actiuæ in passiuam, quæ fit per hæc verba, accusatiuus principalis mutatur in nominatiuum, & minùs principalis manet: vt doceo te Grammaticã, tu docêris à me Grammaticam. In verbis verò petendi seu orandi, vterque accusatiuus mutari potest. Verùm si mutetur principalis, minùs prin-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

principalis maneat eodem pacto, quo erat in actiua: vt miseri orant principes veniam, principes orantur à miseris veniam. Sed si mutetur minùs principalis, accusatiuus principalis vertetur in ablatiuum cum præpositione Ex, vt venia oratur à miseris ex principibus, quæ vox passiua verbis sextæ speciei tribui solet.

De multiplicibus verbis quartæ classis.

Quincuplicia sunt verba huius speciei: DOCENDI, seu dedocendi, vt doceo, dedoceo: MONENDI, vt moneo, admoneo: ORANDI, seu interrogandi, vt oro, rogo, interrogo: PETENDI, vt peto, flagito, postulo, posco. INDVENDI siue calciandi cum contrariis, vt induo, vestio, cingo, calcio, exuo, expolio, excalcio.

De Verbis Docendi.

Doceo construitur cum duobus accusatiuis, & est quarti ordinis. Valerius Maximus lib. 6. Dionysius propter inopiam, literas puerulos Corinthi docuit. Aliquando construitur cum ablatiuo media præpositione De, efficiturq; sexti: non tantùm quãdo significat certiorẽ facere, sed quando refertur ad doctrinã. De priore significatione Cicero pro Sexto Roscio, Vsq; adeò autẽ ille pertimuerat, vt mori mallet q̃ de his rebus Syllã docêri. De posteriore, Idẽ pro domo sua, Quid est enim aut tã

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

arrogans, quàm de religione, de rebus diuinis, cæremoniis ſacris, Pontificum collegium docêre conari? Aufertur aliquando præpoſitio, De. Cicero in Bruto, Homo & Græcis doctus literis, & Latinis. Quinque tamen verba ſunt docendi, quæ poſt accuſatiuum principalem, cum ablatiuo potiùs ſine præpoſitione, quàm cum altero accuſatiuo minùs principali conſtrui gaudent: imbuo, inſtituo, inſtruo, informo, erudio. Vt magni refert quibus artibus, & quibus moribus puerorum animos imbuamus: quę oratio per reliqua verba ſimili conſtructione variari poterit. Erudio tamen aliquando duos ſibi adiungit accuſatiuos, quæ conſtructio non adeò frequens eſt apud Oratores. Papinius libro decimo Thebaid. Quæ te leges, præceptaque fortia belli erudiat.

De Verbis Monendi.

MONEO ſiue admoneo, cum duobus accuſatiuis eſt huiʼ ſpeciei. Salluſtius in Iugurtha, Eam rem locus nos admonuit. Aliquando accuſatiuũ minùs principalem, in genitiuũ vel ablatiuum conuertunt authores: & ad ſecundam vel ſextam claſſem huiuſmodi verba reducũtur. De genitiuo idem Salluſtius in Iugurtha, Sed quoniã tanti viri tempus admonuit. De ablatiuo Cicero libro quarto Epiſto. Putaui ea de re te eſſe admonendum.

De

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

De verbis Orandi seu interrogandi.

Oro & interrogo cũ duobus accusatiuis, sunt huius speciei, vt oro te rem honestam, item interrogas me quæstionem arduam: quę fiunt etiam actiua sextæ, vt oro à te rem honestam, interrogas à me quęstionem arduam. Quibus iunge petendi verba, quę cum duobus accusatiuis, & cum accusatiuo & ablatiuo construuntur: vt te veritatem exigant, vel à te, peto te rem satis facilem vel à te. Item peto post accusatiuum habet datiuum, vt militibus missionem petere. Si significet percutere, est quintæ: vt peto te saxo.

De verbis Induendi.

Verba vestiendi cum duobus accusatiuis, sunt huius classis: cum accusatiuo & datiuo, tertiæ: cum accusatiuo & ablatiuo sine præpositione, quintæ. Vt induo te tunicam, induo tibi tunicam, induo te tunica.

De celo, & consulo.

Celo quando sine diphthongo scribitur, significat tegere siue occultare, & aliquando cum duobus accusatiuis construitur. Cicero lib. 2. Epistolarum, Non enim te celaui sermonem. Aliquando cum accusatiuo & ablatiuo cum, De. Idem. 5. Epistola. Debes existimare te maximis de rebus à fratre esse celatum. Postremò cum accusatiuo & datiuo. Terentius in Phormione, Si hoc celetur patri, in metu

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ſum. Atque ita ex varia conſtructione varias ſortitur ſpecies.

Conſulo pro varia ſignificatione variã habet cõſtructionem, varias etiam ſpecies. Si ſignificet petere conſilium, exigit ſimplicẽ accuſatiuum, & eſt primæ. Cicero actione. 2. in Verrem, Iam vos conſulo iudices, quid mihi faciendum putetis. Aliquando duplicem, & eſt quartæ. Plautus in Menœchmis, Ibo & cõſulam hanc rem amicos, quid faciendum cenſeant. Aliquando accuſatiuum cum ablatiuo & præpoſitione, De: & eſt ſextæ, vt conſulere de ſalute medicum. Si ſignificet prouidêre, conſtruitur cum datiuo, & eſt neutrum ſecundæ, & ex variis datiuis variatur eleganter oratio, vt conſulere Reipublicæ, honori, famę, exiſtimationi, dignitati, ſaluti, tempori, paci, id eſt, habere rationem ſiue reſpectum. Si iungatur his genitiuis, boni, & mali, ſignificat in bonam, aut in malam partem accipere ſiuem terpretari, & eſt ſecundę: vt laborem alicuius, boni, vel mali conſulere. Si ſignificet ſtatuere, poſt accuſatiuum exigit alterum, cum In. Terentius in Heautontimo. Peſsimè iſthuc in te, atque in illum conſulis, id eſt ſtatuis. Si ſignificet conſultare, ponitur abſolutè, nec regit caſum, niſi interiecta præpoſitione, In: vt conſulere in longitudinem, id eſt conſultare in poſterum: in commune ſiue in publicum

conſu-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

consulere, id est, de publica vtilitate & commodo consultare.

De quinta classe Actiuorum.

Verba huius speciei, post accusatiuum desiderant ablatiuum sine præpositione, vel effectiuum, vt ego donabo te corona laurea. Cuius rei gratia verba huius clasis appellari solent effectiua, quia post accusatiuum, effectiuum regunt, qui speciem hanc constituit. Ac licèt effectiuus sit casus generalis: hìc tamen proprius est, quia sine illo natura horũ verborum non absolueretur. Post hunc tamen, & alterum effectiuum recipere possunt ex vi instrumẽti: vt latro viatorem vita priuauit insidiis. Hîc tamen vnum notes necesse est, ablatiuum sine præpositione à Nebrissensi dici effectiuum siue septimũ casum, siue instrumentũ significet siue non, siue à nomine regatur, siue à verbo. Et licèt reclamet Priscianus, septimus hic casus ponendus est, qui licèt cum ablatiuo in voce cõueniat, dissidet tamẽ significatione: nam ablatiuus separationem significat, effectiuus instrumentum. Item ablatiuus præpositionem, vel expressam vel subintellectam semper habet, effectiuus nunquam similem prępositionem recipit.

De multiplicibus verbis Quintæ classis.

Sexcuplicia sunt verba huius speciei. DONAN-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

NANDI, vt dono, afficio: PRIVANDI, vt priuo, orbo, viduo, defraudo: ONERANDI, seu leuandi, vt onero, exonero, leuo: MVTANDI, vt muto: SATIANDI, vt satio, saturo: PERCVTIENDI, vt peto, percutio.

Donandi verba.

Dono si significet gratis dare, construitur post accusatiuum cũ datiuo, & est tertiæ classis, vt dono tibi vestes. Si significet dare premii aut beneuolentiæ gratiâ, post accusatiuũ, regit ablatiuum sine præpositione, & est huius speciei: vt donabo te corona laurea, in premium scilicet meritorum. Naturã huius verbi sequuntur etiam illa, spargo, sterno, augeo, cumulo, impertio. Quæ omnia reciprocam quandam constructionẽ habent, vt sparsi corpori aquam, vel corpus aqua: straui equo phaleras, vel equum phaleris: auxi siue cumulaui tibi rem familiarẽ, vel te re familiari: impertio tibi salutem, vel te salute. Quod verbum datiuum etiam regit cum ablatiuo & De. Cicero 2. Officio. Sæpe idoneis hominibus indigentibus de re familiari impertiendum est. Hoc idem verbum eâdem significatione & constructione efficitur deponens. Terentius in Adelphis, Sed cesso heram hoc malo impertiri? Cicero pro Archia, Multis aliqua arte preditis gratuitò ciuitatẽ impertiebantur. Afficio, ex abla-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ablatiuo ſibi adiuncto accipit ſignificationẽ, vt afficio te moleſtia, iniuria, lætitia, voluptate.

Satiandi.

Satio ad omnes ſenſus pertinet, vt animũ ſpectaculis ſatiaui: ſaturo ad ſolum guſtum, vt ſaturabo te pane. De verbo peto in quarta ſatis fusè diſputauimus.

De ſexta claſſe Actiuorum.

Verba ſextæ ſpeciei requirunt poſt accuſatiuum, ablatiuum cum illis ſex præpoſitionibus, A, AB, ABS, De, E, Ex. Verùm tres prępoſitiones priores, ablatiuis frequentiùs iunguntur. Differunt tamen, nam A iungitur dictionibus à conſona inceptis, vt à Petro: Ab dictionibus inceptis à vocali, vt ab Alfonſo, & quibuſdam conſonantibus, ab Ioue, ab Rege, ab lege, iungitur etiam licèt rarò & tribus aliis, ab ſenatu, ab Decio, ab natura. Abs iungitur dictionibus inceptis à, T, &, Q: vt abs te, abs Tito. Terentius, Abs quiuis homine beneficium accipere gratũ eſt. Verba huius claſſis vocantur ſeparatiua, quia ſeparationem quandam ſignificant, quæ per ablatiuum importari ſolet. Hic autem ablatiuus cum prępoſitione, licèt caſus ſit communis & generalis, huius tamen claſsis proprius eſt: nã & ſpeciem conſtituit, & à reliquis diſtare facit.

Notabis, per paſsiuam perſonam agentem in da-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

in datiuum, & non in ablatiuum debere conuerti, vitandæ Amphibologiæ gratia: vt literæ acceptæ fuerunt mihi à te, non à me à te; nescires enim vter ablatiuus esset persona agens. Aut ablatiuus verbi verratur in ablatiuum cum præpositione, Ex: vt literę acceptæ fuerunt à me ex te. Per hęc igitur verba quando non fuerit ambiguitas in oratione, rectè persona agens ponetur in ablatiuo, vt in hoc exemplo, Cicero eripuit Rempublicam Romanam à faucibus Catilinæ: bene sic conuertes in passiuam, Respublica Romana erepta fuit à Cicerone à faucibus Catilinę.

De multiplicibus verbis Sextæ classis.

Quincuplicia sunt verba in hanc classem cadentia. ABSTINENDI, vt abstineo. contineo: AVDIENDI, vt audio, disco, intelligo: ACCIPIENDI, vt accipio, suscipio: AMOVENDI, vt amoueo, auferio, auerto: ERIPIENDI, seu liberandi, vt eripio, libero.

Abstinendi verba.

Abstineo & contineo differunt, teste Laurentio lib. 4. ca. 41. Nam abstinemus ab alienis, nulli vim inferentes, nihil cuipiam eripiẽtes, vt abstineo me ab iniuriis. Continemus nos à propriis, vt contineo me à voluptatibus. Hæc fiunt quintę, si demas præpositionẽ.

Iusti-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Iustinus, Contenti victoria, imperio abstinebant. Aliquando ex idiomatis Græci imitatione construuntur cum genitiuo. Horatius lib. 3. Car. Abstineto irarum, calidæque rixę. Aliquando loco ablatiui cum præpositione, datiuum habent. Plautus, Abstine isti hanc tu manum, id est ab ista.

Audiendi.

Audio aliquãdo significat, vocẽ alicuius animalis, siue alterius rei sonũ auribus percipere, & construitur cum accusatiuo, & est primę speciei: vt attentè satis tuã orationẽ audiui. Si verò referatur ad doctrinã, est sextę, & construitur cum ablatiuo mediis his præpositionibus, A, vel, A B, DE, Ex, E: vt audiui à patre meo, de patre, ex patre, è patre. Idẽ significare inuenier, qui bonos libros euoluerit. Firmemus id authoritatibus. Audiui à, vel ab. Cicero de Senectute, Sæpe à maioribus natu audiui, Audiui, De. Cicero. 1. Officio. Audiui hoc de parente meo puer. Audiui, E. Idem. 1. de Finibus, At etiam Athenis, vt è patre audiebã. Audiui, Ex. Idẽ actio. 3. in Verrẽ. Multos ex te viros primarios audisse. Aliquãdo significat obedire, & fit neutrũ secũdę, sed tũc loquimur per participiũ præsentis, & datiuũ dicto: vt audiens dicto. Cicero Actio. 6. in Verrem, Quæsiui an misisset, respondit id, quod necesse erat, scilicet dicto audientem fuisse

Præto-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Prętori. Idem Philippica. 7. Et dicto audiens esset huic ordini. Quibus exemplis docemur, hoc participium audiens, duos datiuos interdum admittere, aliquando tamen alter datiuus in genitiuum mutatur. Liuius lib. 1. ab vrbe condita, Interim Seruii Tullii iubêre populum dicto audientem esse. Rursus secundi belli Punici lib. 9. Prætoris dicto audiens nõ esset Scipio. In quo loquendi genere vtimur etiam hoc verbo pareo, vt paruit dicto. Postremò iungitur his duobus aduerbiis bene & malè, & fit neutrum absolutum, significatque bonum aut malum rumorem colligere. Cicero ad Atticum lib. 6. Hanc nonnulli amici Appii ridiculè interpretantur, qui me idcirco putent bene audire velle, vt ille malè audiat.

Eripiendi.

Eripio quoties habet cum accusatiuo ablatiuum cũ præpositione, A, vel, Ab, siue, Abs, plerunque in bonam partem capitur, vt eripuisti me à periculo: interdum in malam, vt eripuisti à me filiam. Quoties cum accusatiuo habet datiuum, ferè in malam partem accipitur, vt eripuisti mihi omnes bene viuendi facultates.

De Septima classe Actiuorum.

Multi Grammatici inconsultè satis ac sine iudicio septimam classem verbis actiuis addunt:

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte.

dunt: quam faciunt ex verbis iubendi, persuadendi, bene aut malè dicendi, quæ pro persona patienti datiuum habent: vt iubeo tibi, persuadeo tibi, maledico aut benedico tibi, item interdico tibi aqua & igni. Verùm qui eã addunt, animaduertant necesse est, vt à sua sententia discedant, eiusmodi verba duplicem habere naturam, transitiuam, & acquisitiuam: illa accusatiuum posteriorem, hac datiuum exposcere: illa actiua esse, hac neutra secundi ordinis. Si ergo hæc verba cum accusatiuo construantur & datiuo, sunt actiua tertii ordinis: si cum solo datiuo, sunt neutra secundi. Non est igitur opus nouam classem fingere pro arbitratu: nam si ex varia verborum cõstructione species vellemus multiplicare, tot efficeremus, vt in certum numerum & terminũ redigere non possemus.

De verbis Passiuis.

Post verba actiua, passiuum verbum proximum locum tenet, quia ab illis originem trahit: propterea secũdo loco de passiuis disserit Antonius. Et quoniam hæc materia latissimè videtur patêre, ne quisquam nos cõfusionis, aut obscuritatis iure optimo notare possit, in tria membra partiamur, in verba scilicet passiua, vocatiua, & reciproca. De passiuis primùm disputabimus, & eorum tractatio tribus illis articulis concludetur, quid sit verbũ

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

paſsiuum, in quot ſpecies ſpargatur, & quo pacto orationes ex voce actiua in paſsiuã conuertantur.

Quid ſit verbum Paſsiuum.

Quemadmodum verbum actiuum ab agẽdo deducitur, non quòd agat, ſed quòd perſonam agentem demonſtret, cum qua in numero & perſona conueniat: ita paſsiuum à patiẽdo dictum eſt, non quòd in ſignificando patiatur, ſed quòd à fronte rectum perſonæ patientis exigat, cũ quo in numero & perſona concordet. Et ne ignores de quo verbo paſsiuo tradi debeat diffinitio, notes oportet triplex eſſe verbum paſsiuum: voce tantùm, ſignificatione tantùm, voce & ſignificatione ſimul. Voce tantùm, Quod habet vocem paſsiuã, & ſignificationem actiuã, cuius generis ſunt verba deponẽtia, vt loquor, obliuiſcor. Significatione tantùm, Quod habet ſignificationem paſsiuam, & vocem actiuam, cuiuſmodi ſunt verba neutra tertiæ, & quartæ claſsis, vt frigeo, exulo. Voce & ſignificatione ſimul, Quod habet vocem paſsiuam cum ſignificatione paſsiua, vt amor, diligor: & tale verbum dicitur paſsiuum paſsiui generis, & de hoc erit ſermo in definitione.

Eſt igitur verbũ paſsiuũ, Quod deſinit in Or, & habet actiuum in O: & exigit ante ſe nominatiuum pro perſona patienti: & ablatiuum

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

uum cum præpositione, A, vel, Ab, vel datiuũ pro persona agenti vel facienti. Præsentẽ diffinitionem exponamus. Desinit in, Or, ad differentiã actiuorũ, & neutrorum, quæ terminantur in O. Et habet actiuum in, O, vt seiũgatur à cõmunibus & deponentibus, quæ ea voce prorsus carent. Et exigit ante se nominatiuũ pro persona patiẽti: vt differat ab actiuis, & neutris actionem significantibus, quæ regunt ante se nominatiuum pro persona agenti. Intellige eam partẽ diffinitionis in suis modis finitis, nã in infinito diuersam habet constructionem, quemadmodum & reliqua verborum genera, vt inferiùs patebit. Aduerte etiam, verba passiua à fronte regere nominatiuum patientem, vel aliquid loco nominatiui. Vergi. 1. Aeneid. Cur dextram iungere dextræ non datur? Et ablatiuum cum prępositione, A, vel, Ab, pro persona agenti vel faciẽti: vt distinguatur à reliquis verbis, quæ casus posteriores habent loco personæ patientis. Notabis personam agentem aliquando poni in ablatiuo cum præpositione, A, vel, Ab: vt filii à parentibus diligũtur. Aliquando sine præpositione quãdo significat rem inanimẽ, vt animus fractus voluptate, cupiditate: nõ à voluptate, & à cupiditate. Aliquando in datiuo. Verg. 1. Aeneid. Nec cernitur vlli, id est, ab vllo. Interdum in accusatiuo mediis

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

præpositionibus,per, apud, inter. De,per, Cicero pro domo sua, Quis meminisset eum bene de Republica meritum, nisi & ab improbis expulsus esset,& per bonos restitutus? id est,à bonis. De apud, Tacitus lib. 1. Augustus apud prudentes vitæ eius variè extollebatur, arguebaturque, id est à prudentibus. De inter, Cicero pro Sestio, Iudicium inter sicarios committitur,id est à sicariis. Aliquando neque in datiuo,neque in ablatiuo poni potest, ne in Amphibologiam incidamus, vt in verbis actiuis tertiæ & sextæ classis fuit à me superiùs annotatum.

Quæritur hac in parte, Vtrum verbum passiuum regere possit accusatiuum? Respondeo, ex natura sua regere nõ posse, sed benè figuratè: idque video contingere potissimùm quatuor de causis. Prima, per Synecdochen. Verg. 1. Aeneid. Expleri mentem nequit. Secunda, per transumptionem, quando verbum passiuum pro actiuo ponitur. Horatius in Arte Poëtica, Qui purgor bilem, id est, purgando expello bilem. Tertia, quando componitur cum præpositione, quæ sua natura regit accusatiuum, vt traiicior flumen. Quarta, quando descendit à verbis actiuis quarti ordinis, vt doceor Grammaticam. His causis exceptis, nunquam verbum passiuum reget accusatiuum.

Eius

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Eius tot sunt species.

Spargitur verbum passiuũ in sex species, quemadmodum & actiuum, à quo generatur. Prima cõstruitur à tergo cum ablatiuo & prę positione, A, vel Ab: vel cum datiuo pro persona agenti: vt Deus amatur à me vel mihi. Secunda post ablatiuum vel datiuum, construitur cum genitiuo vel ablatiuo: vt granarium impletur à me frumenti vel frumento. Tertia post ablatiuum vel datiuum, cum datiuo: vt pecuniæ dantur tibi à me. Quarta post ablatiuum vel datiuum cum accusatiuo: vt tu doceris à me Grammaticam. Quinta post ablatiuum vel datiuum, cum ablatiuo sine præpositione: vt tu donaris à me corona laurea. Sexta post ablatiuum vel datiuum, cum ablatiuo & præpositione, Ex: vt Grammatica auditur à me ex te.

Sed animaduertendũ est, quòd cùm mutamus verbum actiuum in passiuum.

EX superioribus classibus verborum passiuorũ præcipit Antonius, casus illos qui in oratione ponuntur post accusatiuum principalem, nunquam mutari, sed inuariatos perpetuò manêre. Absoluamus igitur tertium, quod de verbis passiuis reliquum est, quo pacto scilicet fiat orationum conuersio ex voce actiua in passiuam. Quod vt clariùs pręcipiamus, notemus oportet, quædam esse verba,

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

quæ nulla ratione ex passiua voce in actiuam conuerti possunt: qualia sunt quæ sequuntur, linquor, consternor, creor, desideror, capior, cõdor, rumpor, afflor, inuehor, discrucior, findor, icor. Vt linquor siue consternor animo, creatus est Consul, multi milites in prælio desiderati sunt, virgines Vestales à summo Pontifice capiebantur, condũtur Tybridis alueo, rumpor inuidia, afflatus fulmine, inuehor in malos, discrucior animi, findor animo, ictus fulmine. Quædam tamen horum in voce actiua reperiuntur, sed rarò: & præceptiones de iis quę in plerisque contingunt, tradi solent, non de iis quæ tam sunt infrequentia, vt crebra authorum lectio vix vnũ aut alterum exẽplum suppeditare possit. Cicero Philippica 14. Quarta legio victrix desiderat neminem. Gellius. lib. 1. cap. 12. In libro Fabii pictoris, quæ verba Pontificem maximum dicere oportear, cùm virginem capit, scriptum est. Et paulò inferiùs, Quod optima lege fiat, ita te Amata capio.

Sunt alia, quæ in certis quibusdam significationibus ex voce actiua in passiuam conuerti nequeunt: qualia sunt, pario, applico, æquiparo, succollo, maneo, occulo, lacto, fugio, abortio, fallit, præterit. fugit, lęto, delecto, oblecto, fœnero, mutuo. Nam eorum priora, voce carent passiua: posteriora verò læto, delecto & reliqua

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

reliqua, significatione carent passiua, nam siũt in voce passiua deponentia, & actionem significant.

Sunt alia postremò, quæ ex voce passiua in actiuam, ex actiua in passiuam migrare possunt, de quibus traditur sequens regula. Accusatiuus patientis mutatur in nominatiuum eiusdem numeri: verbum actiuum in passiuum eiusdem temporis & modi, & cum nominatiuo concordat in numero & persona: nominatiuus agentis conuertitur in ablatiuum cum prępositione A, vel, Ab, vel in datiuum, vel in accusatiuum mediis prępositionibus, Per, Inter, Apud, vt paulò antè explicuimus: reliqui casus manent eodem loco & situ.

Fallit tamen hęc regula variis modis. Primò, quando verbum actiuum caret supino, vt metuo, disco, vnde hæ orationes transire non poterunt in passiuam, metui hostem, didici bonas literas, quia metuo & disco supinis carent.

Secundò, quando accusatiuus est reciprocus, vt omnes homines amant seipsos. Accusatiuus, se, in nominatiuum mutari non potest, quia eo caret: conuertetur igitur in hunc modum, omnes homines amantur à seipsis. Persona itaque agens fit patiens in eodem casu, & accusatiuus mutatur in ablatiuum

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

agentem. Sed si persona patiens fuerit nomẽ aliquod quod careat recto, nomen aliud eiusdem significationis in prioris locum succedet: vt fero opem amicis, auxilium fertur à me amicis.

Tertiò, quando verbum est imperatiui modi, & habet pro persona patienti accusatiuũ, me, conuerti non potest per imperatiuũ, quia caret prima persona: sed huiusmodi oratio fiet per subiunctiuum, vt magister doce me, magister, fac vt ego docear abs te: neque aptè dixeris, à magistro ego docear, quia sensus orationis mutaretur.

Quartò, quando in oratione fuerint iubendi, persuadendi, fœnerandi, aut mutuandi verba, tunc datiuus mutari solet in nominatiuum: vt iubeo tibi hoc, tu iubêris à me hoc: non, hoc iubetur tibi à me. Persuasi hoc ciuibus, ciues persuasi sunt hoc à me: sed multò venustiùs, hoc persuasum est à me ciuibus. Fœnero siue mutuo tibi nũmmos, tu fœneraris siue mutuaris à me nummos: neque sic liceret conuertere, nummi fœnerantur siue mutuantur tibi à me: quia in voce passiua deponentia fiunt, nec significare passionẽ possunt. Similẽ ferè rationẽ sequũtur oblectãdi verba, vt ego delecto te: non posses sic mutare, tu delectaris à me: sed tu delectaris mecũ, quia efficitur verbum deponens.

Postre-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Postremò, cum verbo interdico, regula cõuersionis varia est. Quod vt meliùs percipere possis, notes necesse est, hoc verbum interdico variam habere à tergo constructionem. Aliquando iungitur datiuo & ablatiuo, & satis eleganter (authore Laurentio lib. 3. cap. 39.) & tunc est neutrum, vt interdico tibi aqua & igni. Aliquando accusatiuo & datiuo, & est actiuum tertii ordinis, vt interdico tibi aquam & ignem: quæ constructio licèt à Laurẽtio negetur, quàmplurimis authoritatibus multum suscepit roboris. Suetonius in Domitiano, Interdixit histrionibus scenam. Liuius. 34. Fœminis duntaxat vsum purpuræ interdicemus? Iustinus, Cui paulò antè omnem humanam operam interdixerant. Valerius Maximus lib. 2. Interdixit ei conuictũ hominum, vsumq; balnearum. Postremò, adhæret accusatiuo & ablatiuo, & est actiuum quinti, Vt interdico te aqua & igni. Cæsar de bello Gallico, Omni Gallia Romanos interdixisset. Verũ hæc cõstructio cæteris rarior est. Ex prima actiua, fit hæc passiua per verbum impersonale vocis passiuæ, Interdicitur tibi aqua & igni, quæ locutio frequẽtissima est. Ex secunda actiua, fit hæc passiua, aqua & ignis interdicitur tibi à me. Ex tertia fit hæc passiua, tu interdiceris à me aqua & igni, cuiusmodi locutio non admodum frequens est apud authores. Cæterùm si

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

interdico pro obsistere vel obstare ponatur, cum solo datiuo construitur: & est neutrum secundi ordinis. Cicero in Verrem, Pater improbus, cui nemo interdicere posset.

De verbis Vocatiuis.

Absoluimus verba passiua: agamus de vocatiuis, breuiterq; explicemus quid sint, quid significent, quo pacto construantur. Cùm verba vocatiua à vocando dicta sint, quòd his solemus in nostris appellationibus vti: illa dicũtur vocatiua, quibus nomina personis imponimus. Sunt tamen propriè quinque, dicor, vocor, nominor, appellor, nuncupor: nam illa cognominor, agnominor, inscribor, salutor, & similia, non vocatiua, sed quasi vocatiua appellantur à Grammaticis.

Quid significent.

Hæc verba non minùs significant passionẽ, quàm passiua: sed dicũtur vocatiua, quòd per ea vocemur, seu nominemur, & quòd vtrinq; tam à fronte, quàm à tergo nominatiuum regãt, ac propterea inter reciproca numerãtur. Hanc autem appellationem nõ habẽt eorum actiua, cùm eam constructionẽ nõ sortiãtur.

De constructione Vocatiuorum.

Verba vocatiua descendunt à verbis actiuis regentibus duos accusatiuos pro eãdem re acceptos, vt voco te virum iustum. Exigunt quemadmodũ & reciproca, duos nominatiuos,

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

uos alterum à frõte, alterũ à tergo pro eâdem etiam re acceptos, vt ego vocor vir iustus. Nec licebit addere ablatiuũ cum præpositione loco personæ agentis, à Petro, vel ab Antonio. Secus est, si passiua sint horũ verborũ, voco, appello: tunc enim bene licebit loqui per ablatiuum cũ præpositione, vt ego voco te Petrũ, tu vocaris à me Petrus. De cõstructione infinitiuorũ, qui à verbis vocatiuis formantur, non est animus quicquã præsenti loco dicere, quia eandem prorsus cõstructionem habent cũ infinitiuo, esse, de quo in materia infinitiuorũ latissimè disputabimus: & quæ de eius constructione regulæ tradẽtur, verbis vocatiuis & reciprocis etiã deseruient. Illud tamẽ dicere nõ pigebit, horum verborũ gerundia nullum casum à tergo regere, quia in significatione passiua gerũdia omni casu priuari solẽt: fient autẽ huiusmodi orationes per subiunctiuũ, vt veni Complutũ, vt dicar, siue habear sapiẽs, non gratia dicendi, siue habendi sapiens.

Quot modis Latinè poteris, quî voceris, exprimere.

Et quia video non tantùm pueros, quorũ ignorationi parcendum est, sed viros etiam doctos, qui sine graui culpa errare non possunt, hac vna in re hallucinari, & vix scire, quî vocẽtur, Latinè & elegãter exprimere, ideo placuit de hoc etiã præcepta tradere. Quatuor modis

ro=

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

rogare ſolemus de nomine proprio alicuius, & totidem reſpondêre. Primò rogamus per relatiuum, qui, & verbum vocatiuum, & reſpondemus per idem verbum vocatiuum, & nomen proprium in nominatiuo, vt qui vocaris? R. vocor Petrus, non quomodo vocaris, quia huiuſmodi interrogatio barbariſmi notari ſolet.

Secundò interrogamus per hanc orationem, quod tibi nomen eſt? Reſpondemus aut per nominatiuum, eſt mihi nomen Petrus, aut per genitiuum Petri, aut per datiuum Petro. De nominatiuo Plautus in Menœchmis, Mihi eſt Menœchmus nomen. De genitiuo, Idem in Amphitryo, Nomen Mercurii eſt mihi. De datiuo, Liuius. 1. lib. Decadis. 1. Cui Fauſtulo nomẽ fuiſſe ferunt. Ver. Æneid. 1. Cui nunc cognomen Iulo. Et hic loquendi modus per duos datiuos, cæteris multò & elegantior & politior eſt. Tertiò, quærimus per hanc orationem, quod nomen habes? Reſpondemus, aut per nominatiuum, habeo nomen Petrus, aut per genitiuum Petri, aut per accuſatiuum Petrum. De nominatiuo, Ouidius. 1. Metamorpho. Lactea nomen habet. De genitiuo paſsim ad manum ſunt exempla. Reſponſio verò quæ per accuſatiuum fit, non habet tantum nitoris & elegantiæ. Quartò, fit interrogatio per hanc orationem, quo nomine appella-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

pellaris? Et respondere licebit aut per nominatiuum, appellor nomine Petrus, aut per genitiuum, aut per ablatiuũ. Si velis significare nomen, quod tibi à sacerdote in sacro Baptismate inditum fuit, id facies elegãter per duo verba indo, & impono: dummodo per nominatiuum, genitiuum, datiuum, aut postremò per accusatiuum loquaris, in hunc modum: Sacerdos indidit siue imposuit mihi nomẽ Petrus, Petri, Petro, Petrum. Verùm priores responsiones vsitatiores sunt.

De concordantia vocatiuorum cum nominatiuis.

Illud postremò de vocatiuis notabis, nimirùm verba vocatiua Latinè & eleganter poni posse inter nominatiuos diuersi numeri, & tunc ferè cum pręcedente conuenire in numero & persona: vt hæc vrbs vocatur Athenæ. Quòd si vterque præcedat nominatiuus, similiter cum viciniore concordant: vt hæc vrbs Athenæ vocantur. Hæc satis de vocatiuis.

De Reciprocis.

Verba reciproca cùm à reciprocando, hoc est repetendo dicta sint, casum similem præcedenti exposcunt. Hæc autem duplicia sunt, actiua, & passiua. De actiuis, qualia sunt, ambulo, incedo, euado, in considerationibus erit sermo. De passiuis est pręsens institutũ, qualia sunt, scribor, habeor, iudicor, prædicor, agnoscor,

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ſcor, & exiſtimor, reputor, cẽſeor, quibus etiã additur videor. Hęc paſsionẽ ſignificant, quẽadmodum & verba paſsiua: dicuntur tamẽ reciproca, quia à tergo regũt caſum ſimilẽ pręcedenti, vt habeor doctus, prędicor ſapiẽs, iudicor probus: neq; opus eſt ablatiuũ addere cũ prępoſitione. Deſcendũt etiã, quemadmodũ & vocatiua, à verbis actiuis regentibus duos accuſatiuos pro eâdem re acceptos.

Quotuplex ſit Reciprocatio.

Reciprocatio duplex eſt, rei, & caſus. Rei, eſt agentis paſsio, hoc eſt, quando perſona agens patitur: vt Petrus amat ſe. Caſus, eſt repetitio eiuſdem caſus à tergo, qui erat à frõte: & de huiuſmodi Reciprocatione loquũtur Grãmatici in præſentia.

Inter verba reciproca numeratur hoc verbum, videor: quod ſi referatur ad ſenſus exteriores, habet conſtructionem verbi paſſiui, vt Paries à me videtur, hoc eſt propriis oculis parietem intueor. Si ad interiores, deponens verbum eſt, & tunc loquimur per videor mihi aut tibi, videris mihi aut tibi: in hunc modum, videor mihi ſapiens, videor tibi ſapiens, videris mihi ſapiens, videris tibi ſapiens: non, videtur mihi quòd ſim ſapiens, aut videtur tibi, quòd ſim ſapiens, nam ruſticanus hic ſermo eſt, & planè agreſtis.

De

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

De Verbis Neutris.

Definitis probeque explicatis verbis actiuis ac passiuis, tertio loco disserit Nebrissensis de neutris. Quæ ideo neutra dicta sunt, quòd neq; actiua, neq; passiua sint: non actiua, cùm vocem passiuam in, Or, non habeant: nõ passiua, cùm non desinãt in, Or. Item etiam, quia nec planè actiuam, nec planè passiuam significationem sortiuntur: nam verbis actiuis proprium est, ac veluti naturale significare actionem, passiuis, passionem: quod alienum est à natura verborum neutrorum, quæ partim actionem, partim passionem significant. Exponamus iam, quidnam sit verbum neutrum, & in quot species distribuatur.

Quid sit verbum Neutrum.

Vt intelligas de quo verbo neutro tradi debeat definitio, nota triplex esse verbum neutrum. Quoddam est verbũ neutrum actiuũ, quoddam neutrum passiuum, quoddam neutropassiuum. Verbum neutrum actiuum est, quod significat actionẽ: vt seruio, careo. Verbum neutrum passiuum, quod significat passionem, aut innatam, vt caleo, frigeo: aut illatam, vt vapulo, exulo. Verbũ neutropassiuũ, quod cùm verbum neutrum sit, præteritũ tamen habet passiuum: vt audeo ausus sum, gaudeo gauisus sum, soleo solitus sum. De prioribus duobus generibus neutrorũ propriè tra-

ditur

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ditur definitio, quæ sic se habet. Verbum neutrum est, quod desinit in O, & non habet passiuum in Or: & exigit ante se nominatiuum rei agentis in significatione actiua, & rei patiẽtis in significatione passiua: post se verò omnes obliquos præter accusatiuum. Exponamus huius finitionis partes. Desinit in O, ad differentiam passiui, deponentis, & communis, quæ omnia desinunt in, Or. Et non habet passiuum in Or, ad differentiam verbi actiui, quod habet vocem passiuam in Or. Et exigit ante se nominatiuum rei agentis in significatione actiua: nam verba neutra significantia actionem, qualia sunt, primæ, secundæ, & quintæ speciei, exigunt ante se nominatiuum pro persona agente vel faciẽte, vt ego seruio. Et rei patientis in significatione passiua. Nam quæ passionem innatam, aut illatã significant, qualia sunt verba tertiæ, quartæ classis, exigunt ante se nominatiuum pro persona patiẽti: vt ego ardeo, tu friges. Intellige etiam hanc partem in modis finitis, nam modus infinitus diuersam in omnibus verborũ generibus habet constructionem, vt in materia infinitiuorum latissimè patebit. Post se verò omnes obliquos præter accusatiuum. Nam verba neutra quatenꝰ neutra sunt, cũ accusatiuo cõstruinõ possũt: admittũt tamẽ à tergo reliquos obliquos pro classiũ diuersitate, nisi fortè porã

tur

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

tur absolutè in oratione, vt ego sedeo, tu stas.

Hęc definitio traditur de verbis integris & regularib⁹, nõ de defectiuis, aut de iis quæ reliquorũ normã nõ seruãt, qd̃ dictũ volo ꝓpter sum, memini, cœpi, & reliqua id genus, quæ inter neutra numerantur, carent tamen voce actiua in O. Traditur etiam de neutris, quæ in actiua nõ transierunt: nam illa dormio, viuo, iubeo, impero, fiunt sæpe actiua, & propterea in voce passiua frequentissimè reperiuntur, vt in his locutionibus, iã tertia viuitur ætas, tota mihi dormitur hyems, tu iubêris, ciues sunt oratione persuasi.

In quot species distribuatur.

Verbum neutrum in quinque species distribuitur, nam quinque modis tantùm à tergo constructum reperitur. Quæ cum genitiuo vel ablatiuo construuntur, primam classem constituũt. Quæ cum datiuo, secundam. Quę cum septimo casu, tertiam. Quæ cum ablatiuo & prępositione A, vel Ab, quartã. Quę cum nullo casu nisi media præpositione, quintam. De quibus operæpretium erit sigillatim tractare.

De prima classe Neutrorum.

Verba huius classis à fronte nominatiuum agentem requirunt, à tergo genitiuum vel ablatiuum patientem sine prępositione: vt careo pecuniarum vel pecuniis. Ac licèt tam ge

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

nitiui quàm ablatiui constructio omnibus verbis primæ classis communis sit, & propria, vt quæ hanc speciem constituit: communior tamen est ablatiui constructio, & apud bonos authores magis frequens. Genitiuus verò nõ possessionem (vt quidam Grammatici somniarunt) sed passionem significat, cùm in eum transeat verbi actio. Postremò verba huius ordinis, quemadmodum & reliqua verba neutra, dicuntur significare debilem transitionem, cùm eorum actio non in accusatiuum, sed in genitiuum vel ablatiuum, aut reliquos obliquos dirigatur, ac propterea obliqua trãsitio dicta est: quæ verò in accusatiuũ refertur, transitio recta à Grammaticis est appellata.

De multiplicibus verbis primæ classis Neutrorum.

Quadruplicia sunt verba huius classis. CARENDI, seu indigendi, vt careo, egeo siue indigeo, vaco: ABVNDANDI, vt abundo, redundo, affluo, exubero: SATAGENDI, vt satago: ABSTINENDI, vt abstineo, supersedeo.

Carendi & indigendi verba.

Careo & indigeo differunt: nam caremus rebus desideratis, inest enim (teste Cicerone prima Tusculana) velle in carẽdo: indigemus verò rebus ad vitę conseruationem necessariis. Sed id nõ semper verum est, nam non inuenu-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

uenuſtè dicimus, carere culpa, vitio, crimine, labe, febri, quartana, quarum rerum nos non tenet deſiderium. Item careo cum ablatiuo, indigeo cũ genitiuo frequentiùs conſtruitur. Careo præter vulgatam conſtructionem genitiui & ablatiui olim accuſatiuum regebat. Plautus in Curcul. Perditus ſum, quia id, quod amo, careo. Item Marcus Varro dixit, Multa careo. Cæterùm propriè accuſatiuũ regit, cùm ſignificat lanam carminare. Plautus, Ancillas ſedere iubeas lanam carere: id eſt, carminare. Ab hoc verbo quatuor deſcẽdunt participia, carens, cariturus, caſſus, carendus. Cicero de Natura Deorum, Meliora ſunt, quàm ea quæ ſunt his carentia. Iuuenalis, Cariturus turture magno. Verg. 2. Aeneid. Nunc caſſum lumine lugent: tametſi Priſcianus aſſerit nomẽ eſſe, & vacuum ſiue priuatum ſignificare. Ouidius in Epiſtola Penelopes, Virq; mihi dempto fine carendus abeſt.

Vaco ſignificat aliquando operam dare, & exigit datiuum, fitque neutrum ſecundæ claſsis: vt vaco ſapientiæ, id eſt, do operam ſapientiæ. Aliquando contrariam habet ſignificationem, & deſiderat ablatiuum cum præpoſitione: vt vacare à ſapientia, id eſt, non dare operam ſapientiæ. Interdum ſignificat carere, & petit ablatiuum ſine præpoſitione, & eſt huius ordinis, vt vaco culpa, crimi-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ne. Cicero 1. Officio. Omnis actio vacare debet temeritate, & negligentia. Quo sensu ablatiuũ etiã habet cũ præpositione A, vel Ab. Cæsar lib. 3 bellorũ Ciuiliũ, Hæc à custodibus classiũ loca maximè vacabãt. Interdũ capitur pro otiũ est, & fit impersonale & aliquando ponitur absolutè, vt vacat, nõ vacat: aliquãdo cũ casu, vt vacat mihi, non vacat mihi. Sępe sequitur infinitiuũ. Verg. 2. Aeneid. Et vacat annales nostrorum audire laborum.

Abundandi.

Abundo, affluo, & reliqua verba copiam significantia, frequentiùs adhęrent ablatiuo: vt abundat siue affluit diuitiis. Iunguntur etiam genitiuo. Verg. in Bucolicis, Quàm diues niuei pecoris, quàm lactis abũdans. Hæc, oratione conuersa, petunt datiuum: vt mihi diuitiæ si affluxerint, ad eas mẽtem cogitationemque non conuertam.

Satagendi.

Satago, à satis & ago compositum est, & cõstruitur cũ genitiuo vel ablatiuo: vt hic satagit rerum suarum vel rebus suis. Frequentiùs tamen ponitur absolutè. Cæsar in Cõment. Qui satagentibus celeriter occurrant. Aliquãdo resoluitur, eãdem seruata constructione. Plautus in Bacch. Nunc agitas sat tute rerum tuarum. Est, cùm ablatiuum accipit cũ præpositione, De. Aulus Gellius lib. 9 Instruebãtur

acies

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

acies à Consulibus, de vi, ac multitudine hostium satagentibus.

Abstinendi.

Abstineo sextæ actiuorũ est, rarò tamen cũ genitiuo construitur, & in hoc ordine reponitur. Vnde Horatius dixit in Odis, Abstine irarum. Abstine risus, Terentius.

Cum verbis præcedentibus numerãtur & illa, quæ sequuntur, sto & consto. Quæ si pretium significent, sunt secundæ actiuorũ: vt sapientia magno stare siue constare solet. Sed si sto significet consistere, & consto compositũ esse, sunt huius classis, vt stare dictis, promissis: item homo anima & corpore cõstat, id est cõpositus est. Superioribus accedit memini: quod verbum cùm significat memoria tenere, siue recordari, tripliciter construitur. Cum genitiuo, Seneca lib. 5. Controuersiarum, Illa dum meminit nouercæ, matris oblita est. Cũ accusatiuo, Verg. in Bucolicis, Numeros memini. Cum ablatiuo & De, Cicero pro Lucio Flacco, De copiis memineritis. Si significet mentionem facere, cum genitiuo & ablatiuo tantùm construitur, cũ accusatiuo minimè, vt Cicero meminit hui⁹ rei, vel de hac re, hoc est mentionem facit. Item verbum substantiuum sum, cùm construitur cum genitiuo, & fastidit, & pendeo, ad hanc speciem reducuntur, vt virtus est hominis. Plautus in

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Aulularia, Fastidit mei, quia videt me suam amicitiam velle. Item animi pendeo, pro dubium esse & ancipitem.

De secunda Neutrorum.

Neutra secundæ, exigunt à tergo datiuum acquisitiuum, & propterea acquisitiua appellantur à Grammaticis: & hic datiuus est proprius casus speciei, cùm eam constituat, vt seruus frugi seruit domino fideliter.

De multiplicibus verbis secundæ classis.

Verba huius classis adeò multa sunt, vt in certum numerum colligi non possint: ea tamen deprehendere licebit, aut compositione, aut significatione. Compositione triplici ter. 1. omnia composita à verbo substantiuo, sum, cum datiuo construuntur, & in hoc gradu reponuntur: vt adfui siue interfui lectioni, præfui exercitui, profuit siue obfuit mihi. Excipitur possum, quod aut absolutum ponitur in oratione, vt plurimùm potest virtus apud omnes: aut cõstruitur cum accusatiuo, vt Deus omnia potest. Deinde composita ab his aduerbiis bene, malè, satis: vt lex diuina iubet omnibus benefacere, nemini malè: cumulatè satisfacere alicui. Quę verò cũ satis composita sunt, si genitiuo iungantur, genitiuus ab aduerbio satis, non à verbo ex natura sua regetur, vt satis dedit pecuniarũ. Postremò cõposi

ta

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ta cum his præpositionibus, In, vt inseruio, insto, illudo, inuideo: Sub, vt subuenio, succurro, supplico: Ad, vt assurgo, adsto: Pręcum verbis excessus, vt præuenio, pręcello, pręsto pręcurro. Quę omnia licèt cum accusariuo constructa reperiantur aliquando, plerũque tamen sunt huius ordinis.

Deprehenduntur etiam significatione. Et primùm omniũ ponuntur in hac specie, CEDENDI verba, vt cedo: FAVENDI, vt studeo, fauco, aspiro: PARCENDI, siue indulgendi, vt parco, ignosco, indulgeo: SERVIENDI, vt seruio, inseruio. Postremò TIMENDI, PROVIDENDI, PLACENDI cũ cõtrariis, vt timeo, metuo, prouideo, placeo, displiceo. De primis aliquid notemus necesse est.

De Cedo.

Hoc verbum cedo, si diphthongo scribatur, significat propriè flagellare, & est perpetuò actiuum primæ: vt virgis aliquem cędere ad necem. Si scribatur sine diphthongo, significat aliquando dare locum alicui, & est actiuum tertiæ: vt cede locum maiori. Interdum significat victum se fateri, aut alicui nõ repugnare, & est huius formę: & ex variis datiuis quibus iungi solet, variæ etiam loquẽdi formulæ promanarũt, vt cedere fortunæ, oneri, religioni, authoritati, tẽpori, precibus,

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

hoc eſt his omnibus ſuccumbere, & ab his ſe victum fateri. Interdum capitur pro diſcedere & conſtruitur cum ablatiuo, aliquando ſine præpoſitione: aliquando mediis his præpoſitionibus, A, De, Ex. Vt cedere patria, vrbe, domo, foro, vita, iure, poſſeſsione. Siue cum prępoſitionibus prędictis.

Studendi.

Studeo pro fauere, eſt huius ordinis. Cicero pro Cælio, Multi boni adoleſcentes illi homini nequam atque improbo ſtuduerunt. Significat item alicui rei operam dare, & iungitur aliquando datiuo, aliquando accuſatiuo. Datiuo, vt ſtudere rebus nouis, pecuniæ, imperiis, opibus, laudi, gloriæ, artibus, diſciplinis: quæ in frequenti vſu ſunt apud probos authores. Accuſatiuo in eâdem ſignificatione. Cicero de reditu ſuo, Cùm verò literas ſtudêre cœpit, captus eſt vno verbo voluptatis. Regit quoque accuſatiuum ex vi idiomatis Latini, cùm capitur pro volo ſiue affecto. Cicero ſexta Philippica, Vnum ſentitis omnes, vnum ſtudetis, id eſt, affectatis. Poſtremò adhęret ablatiuo ſiue accuſatiuo, præpoſitione In interiecta. Gellius lib. 11. Si quis in ea re ſtudebat. Fabius lib. 10. Poëtæ in id ſolum ſtudent.

Parcendi & indulgendi.

Parco & indulgeo ex variis datiuis, quibus ſocia-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ſociari ſolent, variam ſignificationem ſumũt: vnde parcere valetudini, vitæ, auribus, dolori, iracundiẹ. Item indulgere ludo, nugis, amori, Veneri, genio, hoc eſt, operam dare. Huius naturæ eſt incumbo, vt ſtudiis incumbere, vel (Latinè magis) in ſtudia. Cæterùm parco pro conſeruare, actiuũ eſt. Ver. 10. Æneid. Argenti atque auri memoras quæ multa talenta Natis parce tuis: id eſt, ſerua. Poſtremò indulgeo cum accuſatiuo etiam reperitur conſtructum apud Terentium, ex imitatione antiquitatis, in Heautontimo. Eiiciunda hercle hæc mollities animi, nimis me indulgeo. Si verò capiatur pro ſeſe dedere, ſiue permittere, nullus negat actiuum eſſe tertiæ. Iuuenalis Saty. 2. Ardenti ſeſe indulſiſſe Tribuno, hoc eſt, permiſiſſe.

De tertia Neutrorum.

Verba huius ſpeciei à fronte exigunt nominatiuum patientis, à tergo ablatiuum ſine prepoſitione, vel effectiuum agentis, vt ardeo calore. Ablatiuus verò ille proprius eſt ſpeciei, cùm eam conſtituat: & regitur aut ex natura verbi, aut ex vi inſtrumenti. Notabis tamen, huiuſmodi verba & ſignificationem & conſtructionem verborum quartæ gerere, nam cum ablatiuo & præpoſitione A, vel Ab, conſtructa reperiuntur: tu verò id non trahes in vſum conſuetudinemque loquẽdi. Ouidius

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

1.Metamor. Postquàm vetus humor ab igne percaluit solis. Idem alibi, Tumida feruebat ab ira. Idem etiam alibi, Pluuioque madescit ab austro. Cice. 2. de Natura Deorum, Ea calescit primùm ab ipso spiritu. Sunt etiam absoluta, vt ego palleo, tu friges.

Præcipiunt veteres Grammatici, verba huius classis hoc potissimùm de nomine à verbis quartæ differre, quòd hæc significant passionem innatam, hoc est, intus natã, vt ardeo amore, æstuo febri: illa verò illatam, hoc est, aliunde sine extrinsecus prouenientem, vt discipulus vapulat à magistro. Verùm ea differẽtia nulla est, nã verba huius formæ passionẽ etiã aliũde illatã significãt. Nullus enim sanę mẽtis huiusmodi locutiones negabit Latinas esse, Ardeo solis feruore, caleo igni, frigeo gelu, terrę humore madescunt equorũ vngulæ. Nos itaq; eam differentiã assignamus, quòd verba tertiæ tam innatam, quàm illatam passionem significant: quartæ, illatam tantùm.

De multiplicibus verbis Tertiæ classis.

Sexcuplicia sunt huius classis verba. CALORIS, & frigoris, vt caleo, ferueo, æstuo, flagro, frigeo, algeo. INCHOANDI, vt frigesco, ferueſco, calesco. Item TERMINATA IN FIO, vt calefio, frigefio, tepefio. MANANDI, vt mano, fluo, scaturio. GAVDENDI, cum cõtrarius, vt gaudeo, exulto, gestio, doleo,

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

leo, mœreo. Postremò CRESCENDI, vt glisco, cresco, augesco. Illa etiam ad hanc speciem reducuntur, areo, vireo, palleo, squalleo, tumeo, madeo, & similia.

De verbis Inchoandi.

Veteres Grammatici (vt testis est Laurentius lib. 1. Elegantiarum cap. 22.) vno ore vniuersi affirmarunt verba in, sco, vt calesco, frigesco, significare inchoationem quandam, ac propterea appellari debere inchoatiua. Verùm Laurentius eorum sententiam confutat, & multis cùm rationibus, tum authoritatibus probat, hæc verba augmentatiua potiùs appellanda, & passionem intrinsecùs natam significare, cum incremento tamen assiduo atque continuo eiusdem passionis: vt calesco, indies calidior fio: ægresco, indies fio æger. Est tamen duplex differentia inter hæc verba, & primitiua à quibus formãtur. Prior est in significatione, nam primitiua passionem perfectã & iam consummatam significant, vt frigeo, id est, frigidus sum: deriuata verò significant passionem nondum perfectam, sed tantùm inchoatã, vt frigesco, id est, frigidior fio. Posterior est in resolutione, nam primitiua resoluuntur per verbum substantiuum & nomen adiectiuũ, vt caleo, id est, calidus sum: deriuata verò per adiectiuũ & fio, vt calesco, id est, calidior fio. Vnde colliges nullam esse diffe-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

differentiam inter verba in ſco, & fio, cùm vtraque paſsionem ſimilem ſignificent.

Manandi.

Hoc verbum mano, reciprocam quandam habet conſtructionem. Nam aliquando conſtruitur cũ ablatiuo ſine præpoſitione: & tunc locus qui manat ponitur in nominatiuo, liquor verò in ablatiuo, vt fons manat aqua. Aliquando conſtruitur cum ablatiuo & præpoſitione, Ex: & tunc liquor qui manat, ponitur in nominatiuo, locus à quo manat, in ablatiuo cum præpoſitione, vt aqua manat ex fonte. Interdum, ex more magis Poëtarum quàm Oratorum, conſtruitur cum accuſatiuo. Horatius 1. Epiſtola. 19. epiſtola, Fidis enim manare Poëtica mella te ſolum.

De quarta Neutrorum.

Verba quartæ formæ, neutra paſsiua dicta ſunt à Grammaticis: Neutra, quia non habent paſsiuam vocem in Or: Paſsiua, quia paſsionẽ illatã ſignificant, hoc eſt à cauſa exteriori procedentem, & more verborum paſsiuorũ conſtruuntur. Exigunt enim à fronte nominatiuum patientem, à tergo ablatiuum cũ præpoſitione A, vel Ab, agentem, vt diſcipuli vapulant à magiſtro. Differunt tamen à paſsiuis, q̃ datiuum loco perſonæ agentis recipere non poſſunt, reliquos verò caſus perinde ac paſsiua poſſunt admittere. Ablatiuus verò hic veluti

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

luti proprius est speciei, cùm eam constituat.

De verbis Quartæ classis.

Quinque sunt verba huius classis, exulo, liceo, vapulo, veneo, fio. Verùm tria posteriora ablatiuum personæ recipere possunt, vt fures vapulant à Lictoribus, serui veneunt à mangone, domus fit ab architecto. Duo verò priora exulo, & liceo, similem ablatiuum recipere nõ solent: nec enim dices, homicidæ exulãt à Prætore, liber licet à me. Sed exulo recipit ablatiuum loci, vt homicidæ exulant à patria, ab vrbe, à focis & aris. Item recipit reliquos locorũ casus, vt exulo Compluti, vel Cõpluto. Quãdo verò ablatiu⁹ personę intercesserit, aut fiet oratio per accusatiuũ cum, Per, vt exulat per prętorem, per Regem. Aut per verba relegor, agor, mittor, cum nomine exilium: vt relegatur à Prætore, agitur siue mittitur in exilium à Prætore. Neque est quòd Antonium in crimen voces, cùm ille puerorũ gratia, quos Grãmaticis præceptis formare studebat, illa exempla composuerit, in quibus ablatiuus personalis est, vt scilicet apertè & planè significaret hæc verba cum ablatiuo construi. Liceo etiã, ablatiuum agentem repudiat, nam plerunque absolutum ponitur in oratione. Si verò personalis casus interuenerit, fiet etiam oratio per accusatiuũ cum, Per, vt per me licet liber. Casus tamen pretium vel æstimationem significantes

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

cantes ſemper licebit illi apponere. Martialis lib. 6. Paruo cùm pretio diu liceret. Cicero ad Atticũ lib. 12. De Druſi hortis quanti licuiſſe tu ſcribis, id ego quoque audieram.

Quidam adſcribunt huic ſpeciei verbum nubo, ſed falsò, nam eſt ſecundæ neutrorum, vt puella nupſit viro: non nego poſſe etiam reperiri alterius ſpeciei, nam mutata Syntaxi, verba in aliam & aliam ſpeciem tranſire ſolẽt. Cicero libro ſecundo de Oratore, Quocum nupta erat matertera noſtra. Aul⁹ Gellius lib. 1. Vt vna apud duos nupta eſſet.

De quinta Neutrorum.

Huius ordinis verba dicuntur abſoluta naturâ, quia nullum caſum poſt ſe regũt pro perſona patienti, niſi media aliqua præpoſitione. Cætera verò verba, cùm ſuis caſibus poſterioribus quos ſua natura regere ſolent, priuãtur, dicuntur abſoluta caſu: vt ego amo, tu doces. Exigunt igitur à fronte nominatiuum agentis, à tergo accuſatiuum vel ablatiuum patientis, media tamen præpoſitione: vt ego viuo in vrbe, eo in forum, in eccleſiam. Hic tamen accuſatiuus vel ablatiuus cum præpoſitione, caſus proprius non eſt, ſed tanquam proprius, cùm quintã ſpeciem cõſtituat à reliquis diuerſam ac diſtinctam. Poſſunt tamẽ huius ſpeciei verba accuſatiuum regere, quinq; modis. Primò, cùm accuſatiuus ille ſignificat rem verbi,

vt

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

vt viuo vitam, dormio somnũ, nauigo equor: sed tunc potiùs actiua, quàm neutra dicenda sunt. Secundò, per Synecdochen: vt tremis pauore ossa, id est, habes ossa pauore trementia. Tertiò, per transumptionem, quãdo verbum scilicet neutrum ponitur pro actiuo: vt auorum & proauorũ nomina sonare, id est, superbo quodã & elato sono repręsentare. Quartò, per Enallagen partium orationis, quando vna pars orationis pro alia ponitur: vt bacchanalia viuit, dulce sonat, furit indomitum, id est bacchanaliter, dulciter, indomitè. Quintò, cõpositione, quando scilicet componuntur cum prępositione, quæ sua natura accusatiuũ regit: vt obire mortem, adire periculum.

De multiplicibus verbis Quintæ classis.

Quadruplicia sunt verba huius classis. VIVENDI, vt viuo, dego: MOVENDI seu quiescendi, vt eo, curro, venio, incedo, deambulo, sto, sedeo, quiesco: CERTANDI, vt certo, pugno, contendo: NATVRÆ, vt pluit, grandinat, ningit, fulgurat, tonat. In omnibus his verborũ generibus nihil est annotatione dignũ, præterquàm in verbis pugnãdi, de quibus verbum vnum dicamus.

Pugnandi

Verba pugnandi in compositione actiua fiunt, licèt non cõponantur cum præpositione accusatiui, vt impugnauit hostes, propugnauit

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

gnauit vrbem, oppugnauit oppidũ. Hæc item datiuum regunt more Græcorum, vt noli mihi contendere. Si verò mutent significationẽ, mutabunt etiam genus: vt contendo, si pro cõparare, aut pro vehementer extendere capiatur, actiuum erit: vt contẽdere purpuram Tyriam cum Aquinate: contendere oculos, arcum, animum.

Animaduertendum est hoc verbum,

Sum es fui.

Quoniam verbum substantiuum fons est, & caput omnium aliorum verborũ, propterea in nullo genere determinato constituitur, sed eminentia quadam ac dignitate præcellẽs, liberum ac sui iuris esse censendũ est. Et quoniam variam habet constructionem, in certã quandam speciem cadere nõ potuit: vnde nõ immeritò illud à reliquis separauit Author, & præsenti loco seorsum de illo suscepit disputationem. Exordiamur igitur verbi substãtiui tractationem, ab eius definitione.

Verbum substantiuum est, Quod significat substantiam vel essentiam rei, sine actione vel passione, & cæteris verbis substat, vel in coniugando, vel in resoluendo. Membra definitionis explicemus. Quod significat substantiam vel essentiam rei. Nam verbum substantiuum substantiã significat, quæ soli Deo propriè conuenit: qui cùm æternus sit, & nec mutari

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

tari nec corrumpi possit, solus verè esse dicitur, iuxta illud Exodi, Ego sum qui sum: & rursus, Qui est, me misit. Cętera verò cùm corruptioni variisque mutationibus subiecta sint, non ita dicuntur esse, cùm eorum natura tota à Deo Opt. Max. dependeat. Sine actione vel passione. Hac parte definitionis excluduntur verba adiectiua, quæ non substantiam, sed actionem vel passionē significant, vt amo, lego, amor, legor: quā verbū substātiuū nunquā importat. Et cæteris verbis substat, vel in cōiugādo vel in resoluēdo. Nam quemadmodū substantia ipsa cunctis accidentibus substat, neq; accidentia vllo modo esse possunt, nisi quantisper substantiæ adhærescunt: sic verba, quæ aliquid certum nobis dicuntur significare, verba vllo pacto esse nequeunt, nisi quatenus substantiuum verbum includunt, hoc est, vim illam copulandi suppositum cum apposito. Solet autem substare in coniugando quinq; tantùm generibus verborum, quæ in sua coniugatione verbo indigent substantiuo. Verbis primùm passiuis, vt amatus sum: Deponentibus, vt locutus sum: Cōmunibus, vt largitus sum: Impersonalibus passiuæ vocis, vt cursum est: Neutropassiuis, vt gauisus sum. In resoluendo verò substat omnibus verbis cuiuscunque generis, & naturæ sint: quæ resolutio, si verbū sit actiuum, fit per participiū pręsentis, & ver

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

bum ſubſtãtiuũ, vt ego amo, id eſt, ſum amãs: ſi paſsiuum per participium pręteriti, & idem verbum, vt ego amor, id eſt ſum amatus. Hac parte definitionis excluduntur verba illa, fio, exto, exiſto, quæ ſubſtantiua nõ ſunt, cùm nec in cõiugãdo, nec in reſoluẽdo cęteris ſubſtẽt verbis, ſed ipſis, vt cęteris, ſubſtet ſum: dicuntur tamẽ quaſi ſubſtãtiua, quia in ſua ſyntaxi, verbi ſubſtantiui naturam imitantur.

De conſtructione verbi ſubſtantiui.

Proximũ eſt, vt agamus de conſtructione. Hoc verbũ, ſum, aut eſt imperſonale, aut perſonale: ſi imperſonale ſit, ſuam habet peculiarem conſtructionem, de qua in imperſonalibus dicemus. Si perſonale ſit, ponitur aliquando abſolutè, aut quando poſt ſe non regit caſum, vt Deus eſt, aut quando ſequitur aduerbiũ, vt Deus eſt vbique, aut quando ſequitur caſus cum præpoſitione, vt Deus eſt in omni loco. Interdum ponitur inter duos nominatiuos, quorũ alter à fronte regitur, alter à tergo: & ſiue ſint eiuſdem perſonæ, ſiue diuerſę, vt Petrus eſt cordatus homo, ego nõ ſum tu: ſiue eiuſdem generis, ſiue diuerſi, vt Deus eſt iuſtiſsimus, Deus eſt ſummum bonum: ſiue eiuſdẽ numeri, ſiue diuerſi, vt, Deus eſt miſeri cors, Deus eſt deliciæ meę, ſemper concordabit cũ pręcedenti. Si verò vterq; nominatiuus pręceſſerit, cõcordabit cũ viciniore. Ouidius

1. Me-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

1.Metamor. Omnia pontus erat. Tacitus lib. 4.Pręcipuũ robur octo legiones erãt. Terẽti⁹ in Andria, Amantium irę reintegratio amoris est. Aliquando tamen concordat cum remotiori, Valerius Maxi.lib.4. Dotis modus quadraginta millia æris fuit.

Construitur etiam cum genitiuo quatuor potissimùm modis. Aut ex vi possessionis, vt herba est suauissimi odoris. Aut ex vi æstimationis, vt pluris est virtus, quàm pecunia. Item ex vi loci, vt sum Compluti. Postremò ex vi laudis, vel vituperationis, vt vir est magnę sapientiæ, aut magni nasi.

Adhęret etiam datiuo, aliquando simplici, vt est mihi seuerissima nouerca: aliquando geminato, vt est mihi lucro, voluptati, curę, vsui, honori, infamię. Quorũ posterior exponi solet per accusatiuum, cum In, vel Ad: vt est mihi lucro, id est, in lucrum, vel ad lucrum, & sic de reliquis. Qui loquendi modus per duos datiuos elegantior est, quàm si per datiuũ, & nominatiuum loqueremur, in hunc modum, Est mihi lucrum, voluptas, cura.

Cum accusatiuo construi propriè non potest, impropriè tamen tribus modis regere accusatiuum potest. Aut quando capitur pro edo. Verg.4. Æneid. Est mollis flamma medullas, id est, exedit. Aut si accusatiuus sit temporis, vt fui apud eum decem dies. Aut quan-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

do nomen verbale pro ipso verbo vsurpatur: quod ab antiquis frequenter fieri solebat, modò verò in obliuionem desuetudinemque venit similis constructio. Plautus in Amphitr. Quid tibi hanc rem curatio est? id est, quid curas? Idem in Aulularia, Quid tibi nos mendice homo tactio est? id est, cur nos tangis?

Cum vocatiuo construi non potest: neque enim dices, Petre esto bone, sed bonus. Excipitur nomen macte, quod in vocatiuis tantùm vtriusque numeri reperitur, cui verbum substantiuum bene iungitur, vt puer macte virtute esto, item pueri macti virtute estote.

Construitur postremò cum ablatiuo ex vi laudis, vel vituperationis. vt vir est duro capite: & hic per ablatiuum sermo ferè perpetuus est Oratorum, quem tamen per genitiuũ Grammatico more sæpe prolatũ leges, vt vir est duri capitis. Interdum adiectiuum, cum aliquo quod præcedit, intransitiuè construitur, & appellatiuum ipsum in ablatiuo ponitur: quæ ratio Historicis frequẽs est, vt vir durus capite. Nonnunquam appellatiuum in accusatiuo ponitur, Poëtico duntaxat more, vt durus caput.

Præter casus præcedentes, quos habet verbum substantiuum sine aliqua præpositione, potest etiam habere varios casus, si his atque illis præpositionibus adiungatur. Sunt autem

quæ

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

quę in frequentiori vſu ſunt apud authores, quę ſequũtur. De, vt de grege illo eſt. E, vt nõ eſt è Republica. Ex, vt ex vſu tuo erit. In, vt quãtum in me erit. Infra, vt quẽ ego infra oẽs infimos homines eſſe puto. Penes, vt iam penes me eſt. Pro, vt vnus eſt pro centum millibus. Sub, vt ſub meo imperio eſt: & ſic de aliis.

Cum hoc nomine opus, omnibus ferè casibus iungi poteſt.

Veteres illi, de quorum grege fuit Diomedes, ſic confusè pręceperunt, verbum ſubſtantiuum cũ nomine opus, omnibus caſibus iungi poſſe, pręter vocatiuum. Tenebant itaq; nobis ſic loqui licere, Opus eſt ſalus, ſalutis, ſaluti, ſalutem, ſalute. Verùm vt nos tantam confuſionem illuſtremus, de nomine opus diſtinguamus neceſſe eſt. Nam aut eſt ſubſtantiuũ, aut adiectiuum: tũc eſt adiectiuum, cùm ponitur in eodẽ caſu cũ ſubſtãtiuo, vt dux nobis opus eſt: tũc verò ſubſtantiuũ eſt, cùm ponitur in diuerſo caſu à ſubſtantiuo, vt opus eſt artis. Si ſubſtantiuum ſit, capitur pro inopia ſue indigẽtia, & iungitur tribus tantùm caſibus, genitiuo, ablatiuo, & accuſatiuo. De genitiuo, Cicero lib. 10. Epiſtola. Nobis & magni laboris, & multæ impenſę opus fuit. De ablatiuo, Idem lib. 7. Epiſtola. Opus eſt hîc limatulo & polito tuo iudicio. Vbi aliqui, de limatulo, legunt: ſed falsò & mendosè ſatis. De accuſati-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

uo, Plautus in Truculento, puero opus est cibum. Hæc tamen accusatiui Syntaxis rara est, & Poëtica. Si adiectiuum sit, capitur pro necessarius, & in duobus tantùm casibus reperitur, in nominatiuo in modis finitis, in accusatiuo in modo infinito. De nominatiuo, Cicero. 2. Epistola. Dux & author nobis opus est. De accusatiuo, Idem tertia actione in Verrem, Multa sibi opus esse, multa canibus suis. Tunc igitur opus, nominatiuo & accusatiuo tantùm iungi solet. Præterea opus iungitur infinitiuo, vt opus est dicere, non dicendi. Itē participio pro infinitiuo posito, vt opus est maturato, id est, maturare: opus est facto, id est, facere.

Notabis præterea, opus cum verbo habeo iungi eisdem casibus, quibus iungebatur cum verbo substantiuo, vt opus habeo cibi, cibum, cibo. Quale est illud Columellæ. lib. 9, capite primo, Nam vt graminibus, ita frugibus roburneis opus habent. Item illud Euangelicum, Dicite quia dominus his opus habet. Cæterùm licèt videam quosdam non infimæ notæ authores per verbum habeo loqui, vos tamē per verbum substantiuum loquemini, quia similē locutionem à grauioribus multò authoribus vsurpatam video.

Nascuntur pretereà ex hoc verbo vndecimalia, ea sunt, adsum, absum, insum, intersum, ob

sum,

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ſum,deſum,proſum,præſum,poſſum,ſubſum ſuperſum:& duo alia Plautina, exſum, perſum. Quæ omnia cum datiuo conſtruuntur, & aliquando etiam cum ablatiuo vt in ſecũda neutrorum notauimus:præter Poſſum, quod accuſatiuum regit,vt non omnia poſſumus omnes.Notabis poſtremò tria tantùm compoſita ex his, generare participia præſentis, abſum,abſens:præſum,pręſens:poſſum,potens. Hæc ſatis de verbo ſubſtantiuo.

De quibuſdam verborum conſiderationibus.

Hoc loco Antonius agit de quibuſdam verborum conſiderationibus, quæ à Grammaticis,Præterea,barbarè appellantur, quòd ab eo aduerbio initium habeant:nos verò illis diuerſum nomen impoſuimus, quia hîc quorundã verborum naturę examinantur.

Sunt præterea quædam alia verba.

Hæc eſt prima cõſideratio,cuius ſenſus eſt: Vltra verbum ſubſtantiuum,ſum, quod propriam & veram ſubſtantiam ſignificat, vt ex eius definitione ſatis cõſtat,eſſe videlicet nõnulla verba, quæ quaſi ſubſtantiua à Grammaticorum vulgo nuncupantur. Non quia tam verè & propriè ſubſtantiam ſignificent,quàm ſubſtantiuũ verbum: ſed quia ſimillimam cũ eo cõſtructionẽ habeant: deſiderãt enim poſt ſe caſum ſimilẽ pręcedenti, vt exiſtit inutilis, extat incorrupt⁹,manet immortalis,viuit felix

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Quibus accedunt & passiua illa, agnominor, cognominor, inscribor: vt agnominor bonus, cognominor iustus, inscribor fortis. Obiter notabis ex sententia Laurentii lib. 5. Elegant. cap. 53. Existere & Extare, licèt vnum atque idem præteritum sortiantur, differre tamẽ inter se. Nam existere prodire significat, & exurgere, vnde montes & colles dicuntur existere, id est, apparêre. De rebus quoq; mutis existere dicitur. Cicero in Lælio, Existit hoc loco quædam quæstio subdifficilis. Extare verò significat superesse, vt extant paucissimi Varronis libri, plurimi nõ extant. Item existit quod videtur cum motu imminere. Cicero de claris Oratoribus, Tum etiam magistri dicendi multi subitò extiterunt. Extat verò quod est sine motu, vnde extare dicuntur ędificia ab humo.

Sunt & alia, quæ cùm sint intransitiua.

Hęc est secunda consideratio, cuius intellectus est: Multa esse verba neutra intransitiua, hoc est quorum actio nõ transit in personam patientem, quæ reciprocantur, id est, similes & à fronte & à tergo casus desiderãt, in morem verbi substantiui. In hoc autẽ gradu primùm numerãtur verba neutra motum pręseferentia, vt incedo tristis, ambulo lætus, euado doctus, pergo mœstus, occurris hilaris, eo exul, venio bene fortunatus. Deinde verba quietẽ impor-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

importantia, vt sto rectus, dormio supinus, iaceo ebrius, taceo ægrotus, studeo pronus, sedeo tristis. His accedunt & verba passiua, quæ descendunt à verbis actiuis regentibus duos accusatiuos pro eodem acceptos, quæ reciprocari etiam solent, vt habeor doctus, vocor Alfonsus, prædicor humanus. Item verba deponentia, vt nudus egressus sum ex vtero matris meę. Quibus iunge & illa verba, disco, audio, facio: vt disco sedulo, audiui hoc puer de patre, feci imprudens. Non nego tamen posteriorem nominatiuum à fronte regi posse, & sic non dicerentur reciproca. Superest vnicũ illud verbum, orationes cum verbis reciprocis fieri non posse per gerundia, sed per subiunctiuum, vt, veni Complutum vt euadam doctus, non gratia euadendi doctus. Per participia tamẽ nihil est quod impediat fieri posse, vt sum incedens tristis, ille est ambulans lætus.

Præterea verba illa quæ dicuntur Neutra transitiua.

Hęc est tertia consideratio, in qua Antonius veteres Grammaticos, sed præcipuè Priscianum notat, qui asseuerabat, esse quædam verba neutra transitiua, qualia sunt, aro, semino, bibo, comedo, cœno, manduco, & reliqua ad terræ arationem, vel gustatum pertinẽtia: quæ in voce passiua tertias personas tantùm

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

habent, cùm repugnet naturę, & veritati, in primis & secundis personis pronuntiari. Verę enim sunt huiusmodi locutiones, terra aratur, terra seminatur, vinũ bibitur, cibus comeditur: falsæ autem illæ, ego aror, ego seminor, tu biberis, tu comederis. Appellat autem Priscianus huiusmodi verba neutra transitiua: Neutra, quia in voce passiua primis & secũdis personis carẽt: Transitiua, quia eorũ actio transit in accusatiuum, quem à tergo regunt. Affirmat tamen idem author, hæc eadẽ verba posse primas personas habere p Prosopopœiã, hoc est personę fictionẽ, vt si terra diceret, ego aror: vinum diceret, ego bibor. Posse etiã habere secundas personas per Apostrophen, hoc est, per conuersionem sermonis ad rẽ inanimatam: vt si quis cum terra & vino loquatur, dicere possit, Terra araris, vinum biberis. Hæc est Prisciani sententia.

Antonius tamen Nebrissensis huiusmodi argutias irridet, asseritque hæc verba non neutra transitiua, vt Priscianus affirmabat, sed actiua potiùs transitiua esse appellanda, cùm & accusatiuum regant, & omnes numeros, & personas in voce passiua sortiantur. Præcipit itaque nobis in hunc modum loqui licere, Ego aror, ego seminor, tu biberis, tu manducaris. Nam etsi huiusmodi orationes falsæ sunt, ad Grammaticum tamen non spe-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ſpectare veritatis aut falſitatis orationis conſiderationem, ſed id munus Dialectici eſſe proprium. Aut ſaltem negatione adhibita, ego non aror, non ſeminor, tu non biberis, non manducaris. Hac igitur in parte Antonii ſententia tenenda eſt, Priſciani verò repudianda. Quid enim Grammatici intereſſe debeat non video, ſi ſermo eius repugnet naturę, modò omnes leges & Grammaticas præceptiones ſeruet.

Præterea verba, quæ dicuntur ad ſolam naturam pertinere.

Hęc eſt quarta conſideratio, in qua idem Priſcianus cum eiuſdé ſententiæ conſortibus reprehenditur, qui affirmabat, eſſe quædam verba naturę, qualia ſunt, pluit, ningit, grandinat, ſerenat, fulgurat, tonat, rorat, coruſcat, luceſcit, veſperaſcit & ſimilia: quæ in tertiis perſonis numeri ſingularis tantùm reperiuntur, quia ſub illis duo tantùm ſuppoſita intelliguntur, Deus ſcilicet, aut Natura. Aſſerit tamen idem, hæc eadem verba habere poſſe omnes perſonas vtriuſque numeri, aut per Proſopopœiam, hoc eſt, perſonę fictionē, vt ſi natura diceret, ego pluo: aut nubes, pluimus. Aut per Apoſtrophen, id eſt, conuerſionem ſermonis ad rem inanimem, vt ſi nubibus diceremus, vos pluitis.

Antonius tamen probat, hęc eadem verba repe-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

reperiri posse, in primis & secundis personis in hunc modum, Ego pluo, ego grandino, tu serenas, tu coruscas. Aut negatiuè, ego non pluo, tu non serenas: cùm Grammaticus non debeat veritatem, aut falsitatem orationis spectare, sed partium orationis congruitatem, ac debitam earum structuram. Per trãslationem nemini dubium, quin liceat primis & secundis personis horum verborum vti: vt, quoties dico in Theatro, fulguro, ac tono: quoties in foro causas agis, fulguras ac tonas. Quod de Pericle Atheniensium oratore veterum scriptis proditum est, qui quoties suggestum dicturus ascendebat, tonare, ac fulgurare videbatur. Illud in fine non pigebit addere, huiusmodi verba à Grammaticis appellari exceptę actionis, quòd eorũ actio soli Deo aut Naturæ conueniat.

Præterea nullum esse verbum actiuum, quod non possit esse absolutum.

Hæc est quinta consideratio, cuius sensus: Omne verbum actiuũ fieri absolutum, si post se cum nullo casu construatur, vt ego amo. Nec de actiuis tantùm intelligi deber consideratio, sed de omnibus verborum generibus, quæ sua syntaxi priuãtur: vt ego amor, tu seruis, ego loquor, tu criminaris. Hîc tamen repetamus necesse est, quod in quinta neutrorum de duplici verbo absoluto notauimus: est enim

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

enim aut absolutum naturâ, aut casu. Absolutum naturâ dicitur, quod suapte natura nullum regit casum, vt eo. Absolutũ casu, quod casu quem sua natura regebat, priuatur, vt amo. Quinta neutrorum de verbo absoluto naturâ loquebatur, præsens consideratio de absoluto casu.

Præterea verba neutra posse construi cum accusatiuo.

Hæc est sexta consideratio, cuius intellectio talis est: Nonnulla esse verba neutra (neque enim de omnibus traditur præceptio) quę cum accusatiuo construi possunt significantem rem verbi, vt viuo vitam, pecco peccatum, eo iter, seruio seruitutem. Verùm hæc actiua potiùs, quàm neutra dicenda sunt, cùm ea per passiuam cõuertere liceat, vita viuitur à me, peccatũ peccatur, iter à me itur. Ouidius. 12. Metamor. Vixi bis centum, iam tertia viuitur ętas. Item Cicero. 1. Officio. Quo in genere etiã multa peccantur in Republica. Sed quæres, quis dicatur accusatiuus rem verbi significans? Id ego facilè expediam, si priùs intellexeris eos Grammaticos deceptos fuisse, qui arbitrati sunt, eum accusatiuum dici rem verbi significare, qui esset nomen verbale à verbo ipso deductum: nam in his, nato aquas, nauigo æquor, accusatiuus à verbo non promanat. Erit igitur accusatiuus rem verbi significans

cans ille, qui significat id, quo verbi actus exercetur: vt in hoc exemplo, viuo vitã, accusatiuus significat rem verbi, quia actus viuendi exercetur vita, nisi enim vita nobis esset, viuere non possemus.

Præterea nullum esse verbum, quod non cum accusatiuo vel ablatiuo.

Hæc est septima cõsideratio, cuius intellectus ille est: Nullũ videlicet esse verbũ, cuiuscunq; sit generis, quod nõ cũ accusatiuo, vel ablatiuo significãte tẽpus sine vllo discrimine construi possit, vt studui Grãmaticæ tres annos vel annis: dedi operã Dialecticæ quatuor annos vel annis. Sed circa accusatiuũ & ablatiuũ tẽporis, fuit opinio Nonii Marcelli, Grãmatici aliôqui nobilissimi, qui tempus perpetuũ & continuatũ in accusatiuo, intermissum verò in ablatiuo semper collocari docuit. Qui (vt salua eius pace loquar) in re clara & aperta hallucinatus est. Nam & tempus interruptum per accusatiuũ, & continuatũ per ablatiuum sæpissimè significarunt authores. Cicero in prologo primi Officiorũ, Quanquam te Marce fili annũ iam audientem Cratippũ idq; Athenis, abundare oportet præceptis institutisque Philosophiæ. Hîc per accusatiuũ, tempus interpositum significatur: non enim Ciceronis filius tã continenti, & perpetua opera totũ illũ annũ Cratippũ audiuit, vt nun

quam

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

quã interquieuerit, respirauerit q;. Idẽ lib. 3. Officio. Scriptũ à Posidonio est, triginta annis vixisse Panætiũ, postquàm eos libros edidisset. Hîc tẽpus perẽne p ablatiuũ notat, semper enim vixit Panætius, quãdiu in vita fuit.

Accipe igitur regulã, quæ & verior, & certior est, vt intelligas quando tẽpus accusatiuo, quãdo ablatiuo adsignificari debeat. Cùm de parte, non de toto tempore loquimur, vtẽmur ablatiuo: vt si dicas, ego hoc anno ad te veniam, id est, aliquo tẽpore huius anni: pro quo non rectè dixeris, ego hũc annũ ad te veniam. Cùm verò de toto tempore fuerit sermo, commodiùs vtemur accusatiuo, vt viginti annos hanc domum habitaui. Notabis præterea, si fiat interrogatio per quãdiu, vel quãdudum, responsionem fieri debere per accusatiuum cũ præpositione, vel sine ea, rarò per ablatiuum. Vt, quandiu studuisti Compluti? respõdebis sex annos, vel annis, vel per sex annos: quandudum obiit pater tuus? abhinc tres menses vel mensibus. Si verò interrogatio fiat per quando, aut quanto tempore? respondebimus per ablatiuum, aut per accusatiuum cum Intra: vt quando venies? hora tertia, aut intra horam tertiam: quanto tempore hæc scripsisti? tribus horis aut intra tres horas. Quibus responsionibus caue, ne pro Intra, vtaris Infra: nam Intra refertur ad spa-

tium

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

tium temporis, vt intra viginti dies: Infra verò ad dignitatẽ, vt infra dignitatẽ meã est: aut cum Per, vt quanto tempore Grammaticam es professus? per virginti annos.

Præterea complura esse verba Neutra absoluta, quæ figuratè.

Hæc est octaua consideratio, cuius sensus est: Complura esse verba neutra absoluta, quę virtute transumptę significationis accusatiuo iunguntur, vt depereo virginem, id est deperditè amo virginem. Corydon ardebat Alexim, id est ardenter amabat. Nec per figuram, hîc intelligas Metaphoram, aut aliud genus tropi: sed Transumptionem, quæ facit vt verbum neutrum pro actiuo positum regere possit accusatiuum. Repete ad præsentem locum quinque illos modos, quos in quinta neutrorũ descripsimus, quibus contingit verba neutra absoluta regere posse accusatiuum. Huc etiam spectant & illa, quæ ex idiomate sermonis Latini affirmat Antonius cum accusatiuo construi posse: virtute enim nouæ significationis, quam vsurpant, accusatiuum regunt. Vt sapit piscẽ, id est, sapore refert piscem: olet vnguentum, id est odore repręsentat vnguentum: nescio quis me manet exitus, id est expectat. Simile iudicium erit de reliquis.

Omnia etiam verba Neutra posse iungi datiuo.

Hæc

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Hæc eſt nona conſideratio & vltima, quæ nobis nihil aliud præcipit, quàm verba omnia non tantùm neutra, ſed cuiuſcũq; alterius generis poſſe recipere datiuum damni aut commodi: poſt completam ſuam naturã, quia caſus generalis eſt: vt dormio mihi, amas tibi, loqueris tibi, veneror Deum mihi: & ſic de ſimilibus.

De verbis Deponentibus.

Verbi actiui, paſsiui, & neutrius natura ad vnguem ſatis explicata, quarto loco] diſſerit Antonius de deponentibus. Quæ ideo deponentia dicta ſunt, quia cùm olim fuerint communia, & actiuam & paſsiuam ſignificationem retinuerint, ſeruata tantùm actiua, paſsiuam depoſuerunt. Nec vera eſt eorum ſententia, qui dicunt deponentia per Antiphraſim fuiſſe dicta, quòd ſcilicet, R, literam nunquã deponant, vt loquor, naſcor, ſequor: nõ enim dicimus, loquo, naſco, ſequo. Nam multa paſſim videmus verba deponentia, quæ aliquando in actiua, aliquando in neutra migrant, R litera prorſus depoſita: vt partior, aſſentior, delector, fœneror, mutuor, palpor, medicor, populor: pro quibus reperiuntur illa, partio, aſſentio, delecto, fœnero, mutuo, palpo, medico, populo. Exordiamur iam verborum deponentium tractationem ab eorum definitione, eaque deinde in ſuas ſpecies partiamur.

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Vt intelligas de quo verbo deponenti tradatur definitio, notes oportet duplex esse verbum deponens: voce tantùm, voce & significatione simul. Voce tantùm est illud, quod habet vocem passiuam, & significationem passiuam, vt nascor: verùm nõ est passiuum, quia non habet vocem actiuam in O. Voce & significatione illud est, quod habet vocem passiuam, & significationem actiuam, vt loquor, obliuiscor. Definitio propriè traditur de verbo deponenti, voce & significatione simul, quæ talis est.

Deponens verbum est illud, quod in Or desinit, & non habet actiuũ in O, retinetque tantùm actiui significationem. Singula diffinitionis membra discutiamus. Quod in Or desinit: ad differentiã actiui & neutrius, quæ desinunt in O. Et non habet actiuum in O: vt differat à passiuis eam vocem habentibus. Et retinet tantùm actiui significationem: vt seiungatur à communibus, quæ sub voce passiua actiuam & passiuam significationem habent, vt criminor, quod accusare & accusari significat. Notabis tamen hac in parte, reperiri apud probos illos & perfectos authores verba deponentia sæpissimè in significatione passiua. Cicero in Paradoxis, An quisquã in potiundis voluptatibus, gloria se & prædicatione effert? Idem pro Marco Cælio, Magnum

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

gnum crimen in legatis insidiandis. Item Horat. I. Epistola. II. epistola, Oblitúsque meorũ, obliuiscendus & illis.

In quot species distribuatur.

Verbum deponens in sex classes distribuitur, nam totidem modis à tergo constructũ reperitur. Quæ cum genitiuo sociata sunt, primã classem constituunt. Quę cum datiuo, secundã. Quę cũ accusatiuo, tertiã. Quę cum ablatiuo sine præpositione, vel septimo casu, quartam. Quę cum nullo casu nisi præpositione interiecta, quintam. Quę cũ ablatiuo & præpositione A, vel Ab, sextã. De quibus seruato cuiusque ordine disputemus.

De prima classe Deponentium.

Verba huius ordinis, exigunt à tergo genitiuum patientis, vt misereor pauperis. Qui genitiuus non possessiuus, sed passiuus est, & proprius huius speciei casus, vt qui eã constituit.

De multiplicibus verbis Primæ classis.

Triplicia sunt verba huius formæ. MISERENDI, vt misereor, miseror: REMINISCENDI, vt reminiscor, recordor: OBLIVISCENDI, vt obliuiscor.

Miserendi.

Misereor & miseror, non in significatione, sed in constructione differunt. Nam mise

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

reor aliquando regit genitiuũ. Cicero ad Atticum, Qui misereri mei debent, non desinunt inuidere. Aliquando datiuum, sed non tam frequenter, ideoq; non imitaberis. Cicero lib. 2. Tusculan. Patris pestibus miserere. Seneca lib. 2. Controuersiarum, Misereor tibi puella: qua constructione Ecclesiastici etiã vtuntur, miserere nobis. At verò miseror. aris, cum accusatiuo tantùm cõstruitur, & in tertia classe reponitur. Cicero pro Muræna, Vt non queam satis, neque communem omnium nostrũm conditionem, neque huius euentum fortunamque miserari.

Recordandi.

Verba recordandi præter vulgatam genitiui syntaxim, construuntur etiam cum accusatiuo eleganter satis, nec ferè video Ciceronẽ aliter fuisse locutum. Cicero lib. 4. Familiariũ, Ea potiùs reminiscere, quę digna tua persona sunt. Idem de Oratore, Cùm omnes gradus ętatis recordor tuę. Aliquando cum ablatiuo, & De, licèt non ita frequenter. Idẽ pro Sylla, Nã profectò si recordari volueritis de nouis hominibus. Ponũt aliquãdo absolutè cũ infinitiuo, vt nõ sum recordat⁹ plura dicere.

Obliuiscendi.

Obliuiscor, quemadmodum & recordor, pręter communem genitiui constructionem, habet frequenter accusatiuum, cum multa

Roma-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Romani ſermonis venuſtate. Cice. pro Cęlie, Obliuiſcor iniuriam, depono memoriam doloris mei. Rarò ablatiuum, cum De: vt de patria obliuiſci turpe eſt. Ponitur aliquando abſolutè cum ſolo infinitiuo, vt oblitus ſum dicere neſcio quid tibi. A verbis huius ſpeciei naſcuntur terna participia, præſentis, præteriti, & futuri in, rus, vt recordans, recordatus, recordaturus. Aliquando etiam habẽt participium futuri in, dus, paſsiuæ ſignificationis. Plautus in Mil. muliebres mores diſcẽdi, obliuiſcendiq́ue tui.

De ſecunda Deponentium.

Verba huius ordinis, poſt ſe regunt datiuum acquiſitiuũ: qui adeò proprius eſt huius ſpeciei, vt eam conſtituat, vt ſuffragare mihi.

De verbis ſecundæ claſsis.

Varia ſunt huius gradus verba. GRATVLANDI, vt gratulor, grator: ASSENTIENDI, vt aſſentior: SVFFRAGANDI ſiue auxiliandi, vt ſuffragor, auxilior, opitulor, patrocinor: ADVLANDI, vt adulor, aſſentor, palpor, blandior: IRASCENDI ſiue inſidiandi, vt iraſcor, indignor, inſidior.

Gratulandi.

Gratulari, eſt verbo teſtari te gaudere de fortuna ac felicitate alterius, apud eũ ipſum qui affectus eſt felicitate. Differt à gaudere, nã gaudemus noſtra felicitate, gratulamur alie-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

næ. Variam habet constructionem. Aliquando iungitur datiuo, vt gratulor tibi fortunis aucto. Interdũ cum datiuo habet accusatiuũ sine præpositione. Cicero actione. 2. in Verrẽ, Appellat hominẽ, & ei voce maxima victoriã gratulatur. Interdũ accusatiuus habet adiunctam prępositionem Ob, vel Propter: vt gratulari alicui ob vel propter victoriam partam. Postremò post datiuum habet ablatiuum cum præpositione De. Cicero. 1. Familiarium, Quòd mihi de filia gratularis, agnosco humanitatem tuam. Grator eiusdẽ significationis est, verùm magis est Poëticũ, quàm Oratorium: construitur cum datiuo. Vergil. 4. Aeneid. Inueni germana viam, gratare sorori. Aliquãdo cum accusatiuo. Idem 5. Aeneid. Gratatur reduces.

Assentiendi.

Assentior primùm construitur cum datiuo. Cice. actione. 5. in Verrem, Vt ego assentiar orationi, defensionem tamen non probabo. Deinde construitur cum accusatiuo. Idẽ ad Atticum, Timet multa, assentitur omnia. Tertiò cum accusatiuo & datiuo. Idem. 3. de Oratore, Nanque ego illud assentior Theophrasto. Postremò cum datiuo, & ablatiuo cum De. Idem. 12. Familiariũ, Mihi enim est assensus Senatus de obtinendis prouinciis. Ex subiectis exemplis colliges, Ciceronem

fre-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

frequentiùs vti hoc verbo in voce passiua. Verùm & voce actiua vsus est aliquando, Officiorum. 1. Cauendum est, ne his rebus temerè assentiamus. Qua voce & authores, qui post ipsum secuti sunt, vti non dedignantur.

Verbis huius speciei accedũt & hæc, ancillor, famulor, conuitior, minor, medeor, dominor, & aliqua cũ bene & malè cõposita: vt bene siue malè precari, bene siue malè omina ri. De horum quibusdã aliquid notemus necesse est. Minor aliquando cum solo datiuo cõstruitur, vt minari alicui: aliquando cũ datiuo habet accusatiuum, vt mortem siue exitiũ alicui minari. Medeor differt à medicor, nam medeor cum datiuo construitur, vt mederi morbo: medicor verò cum accusatiuo frequẽtiùs constructũ reperies. Vergilius. 7. Aeneid. Sed non Dardaniæ medicari cuspidis ictum Eualuit. Idem tamen adiunxit datiuo. 2. Georgi. Senibus medicãtur anhelis. Voce actiua huius verbi vtuntur aliquãdo Poẽtæ. Idem. 1. Georgi. Semina vidi equidẽ multos medicare serentes. Dominor cũ genitiuo rarò cõstruitur, & est primæ speciei, vt Deus omnium dominatur: cum datiuo frequentiùs, & est huius classis. Cicero pro Rabirio Posthumo, Dominatus est enim Alexandriç. Item cum accusatiuo & In. Cicero de

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Senecture, Si vsque ad extremum spiritũ dominatur in suos. Capitur aliquando passiuè. Cicero.1. Officiorum, O domus antiqua, heu quàm dispari domino dominaris. Illud postremò notabis, à verbis huius speciei prodire terna participia, præsentis, præteriti & futuri, in rus: vt suffragans, suffragatus, suffragaturus.

De tertia Deponentium.

Verba tertiæ speciei, à tergo regunt accusatiuum patientem ex vi transitionis: qui tertiã classem constituit, cùm eius sit proprius, vt execror te.

De multiplicibus verbis tertiæ classis.

Verba huius classis varia sunt. CONSOLANDI, vt solor, consolor: PRECANDI, vt precor, deprecor: SEQVENDI, vt sequor, prosequor: MERENDI, vt mereor, demereor: CONFITENDI, vt confiteor, fateor. Ac denique IMITANDI, & execrandi, vt imitor, æmulor, execror, abominor.

Consolandi.

Solor & consolor ex sententia Laurentii lib. 4. Elegantia. cap. 77. differunt: nam solamur rebus, consolamur verbis. Ab his promanant tria verbalia, solatium, consolatio, & solamen. Duo priora Oratoria sunt, posterius verò solamẽ magis Poëticũ. Verg. 3. Æneid.

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

neid. Solamenque mali de collo fistula pēdet.

Precandi.

Precor aliquando cum simplici accusatiuo construitur, vt precari veniā. Aliquādo post accusatiuum datiuum habet, vt mala precari alicui. Interdum post accusatiuum habet ablatiuum cum prepositione A, vel Ab. Valerius Maximus lib. 1. Stultū est, à quibus bona precamur, ab iis porrigentibus nolle sumere. Postremò habet duos accusatiuos, quos reliqua orādi verba habere solēt, vt precor Deos veniam. Differt à deprecor, nā deprecari est precibus aliquod malum à nobis auertere: vt deprecari pœnam, culpam, crimen.

Sequendi.

Prosequor, quod à sequor compositū est, post accusatiuum desiderat ablatiuum sine præpositione, à quo mutuò sumit significationem, quemadmodum & afficio: vt prosequor te honore, id est honoro te: amore, id est, amo: odio, id est, odi. Differt à persequor, nam persequor aliquando in malam partem capitur, & significat ad finem vsque insectari, vt persequor hostes: aliquando in bonam, & significat in re semel cœpta perseuerare, vt persequor literarum studia.

Merendi.

Verbum mereor, si componatur cum ad-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

uerbiis bene & malè, construitur cum ablatiuo media præpositione De. Vnde benemereri de aliquo, aut malemereri, est aliquid beneficii, siue maleficii in eum cōferre. Itaque in huiusmodi constructione, ablatiuus persona patiens est, non agens. Hoc verbum in voce actiua sæpissimè reperitur. Cicero in Familiaribus, Ac velim, vt de Republica merem⁹, sic felices simus. A verbis huius speciei præter terna illa participia, nascitur & participium futuri in, dus, passiuæ significationis. Cicero in Familiaribus, Etsi egomet, qui te cōsolari cupio, consolandus ipse sum.

De quarta Deponentium.

Verba quartæ speciei, volunt à tergo ablatiuum sine præpositione vel effectiuum, qui hanc speciem constituit: vt vtere meis rebus, perinde ac tuis.

De verbis quartæ classis.

Verba huius classis pauca sunt: in primis LÆTITIÆ, cum cōtrariis, vt lætor, delector, tristor: VTENDI, vt vtor, fungor, fruor: VESCENDI, vt vescor.

Lætandi.

Hoc verbum lætor, variam habet constructionem. Aliquando construitur cum ablatiuo, sine præpositione. Cicero pro Aulo Cluētio, Mater squalore filii, & sordibus lætatur. Aliquando habet ablatiuum mediis præpositioni-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

tionibus,De,In,Ex. Idem pro Marco Marcello,Nam lætari omnes de communi ſalute ſentio.Idem ad Atticum.lib.14.Epiſtola Leonidę quid habet, quæſo,in quo magnopere lætemur?Diuus Cyprianus ad Rogatianum,Quã tùm dolemus ex illis, quos poteſtas inimica proſtrauit,tãtùm lætamur ex vobis,quos Diabolus ſuperare non potuit. Vltimò habet aliquando accuſatiuũ, media præpoſitione Ob, vel Propter.Cicero pro Milone,Quid ingratius,quàm lugere eum ſolum, propter quẽ cæteri lętentur?Verbum autem delector, & actiuum primæ ſpeciei reperitur:vt tuæ literę me magnopere delectarunt.

Vtendi.

Vtor,præter vulgarem conſtructionem ablatiui, ex natura antiqua conſtruitur cum accuſatiuo. Terentius in Prologo Andriæ, Nam in Prologis ſcribundis operam abutitur. Si verò ablatiuus,quem regit vtor,ſit perſonæ, tunc vtor ſignificat conuerſari,vt vtor Petro familiariſsimè. Differunt autem vtor, fruor, fungor, potior: quæ omnia ſunt huius ſpeciei. Vtimur rebus, ad aliquid aliud per eas obtinendum: fruimur rebus, propter ſe ipſas: fungimur munere, quod nobis demandatum eſt:potimur re,quam per laborem obtinuimus.Illud tamen notes neceſſe eſt, hoc verbum potiri triplicem habere conſtructionem.

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

nem. Aliquando adhęret ablatiuo ſine præpo ſitione. Verg. 1. Aeneid. Egreſsi optata potiũtur Troës arena. Aliquando accuſatiuo ex an tiqua ſyntaxi. Terentius in Adelphis, Ille ſi= ne labore patria potitur commoda. Si verò iũ gatur huic nomini, res rei, ſemper conſtruitur cum genitiuo, & reducitur ad primam de ponentium: vt Lacedęmonii rerum diu poti ti ſunt, non rebus. His accedũt hæc duo verba, triſtor, & cõtriſtor: quæ huius formæ ſunt, & paſsionem ſignificant, vt triſtor tua aduer ſa valetudine. Verùm ſi ablatiuus ſit rei animatæ, fieri oratio non poteſt per hæc verba, ſed per verbum reddo, vel afficio. Non enim dicimus, triſtor Petro, ſed Petrus reddit me triſtẽ, vel afficit me triſtitia. Vltimò notabis, aliquando verba huius claſsis præter ternaillа participia, habere etiam participium futuri in dus, paſsiuę ſignificationis: quia olim fuerunt tertiæ ſpeciei. Cicero lib. 1. de Finibus, Non ſolùm paranda nobis, ſed etiam fruenda eſt ſapientia. Idem. 2. Officio. Iuſtitię fruẽdæ cauſa videntur olim bene morati Reges conſtituti.

De quinta Deponentium.

Verba quintæ claſsis, à tergo cum nullo caſu conſtruuntur, niſi cum accuſatiuo vel ablatiuo media præpoſitione: vt Cicero iocatus eſt in Antonium, item ruſticatur in otio. Caſus

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ſus autem hic media præpoſitione, eſt caſus tanquam proprius huius ſpeciei: cuius verba dicuntur abſoluta, quia nullum caſum regũt, niſi interiecta præpoſitione.

De verbis Quintæ claſsis.

Non admodùm multa ſunt huius ſpeciei verba. IOCANDI, vt iocor, cachinnor. Verbaitẽ DISCIPLINARVM, vt philoſophor, ruſticor, grammaticor. In quibus nihil eſt annotatione dignũ, niſi quòd iocamur verbis, ludimus verò factis. Item notabis à verbis huius formæ prodire terna tantùm participia, preſentis, præteriti, & futuri in rus: vt iocans, iocatus, iocaturus.

De ſexta Deponentium.

Verba ſextę claſsis paſsionem ſignificant, ac propterea dicuntur paſsiua: à quibus nihilominus differunt, quia non habent actiuam vocem in O. Exigunt à fronte nominatiuum patientis, à tergo verò ablatiuum agentis, cũ his præpoſitionibus, A, Ab, De, E, Ex, vt ortus à patribus honeſtiſsimis: quæ oratio per reliquas præpoſitiones poterit variari. Demitur aliquãdo prępoſitio elegantię gratia, vt in his locutionibus, claro loco natus, obſcuro loco natus, honeſtiſsimis ortus parentibus. Ablatiuus media præpoſitione, in verbis huius ſpeciei nõ eſt proprius, ſed tanquã proprius.

De verbis ſextæ claſsis.

Ver-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Verba huius classis tria tantùm sunt, orior, nascor, parior: de quibus pauca notemus necesse est.

De Orior.

Orior aliquando tertiæ, aliquando quartæ coniugationis est, oreris vel oriris: infinitiuus verò, Oriri, semper est quartæ. Ponitur in oratione aliquando absolutè, vt ortus est puer. Aliquando cum ablatiuo cum præpositione, vel sine ea, vt ortus clarissimis maioribus, vel à clarissimis maioribus. Si verò velis adiicere ad quã rem ortus sis, orationem in hunc modum variabis, aut per datiuum, ortus sum militiæ: aut per accusatiuum media præpositione Ad, ad militiam: aut per gerundium accusatiui casus, ad militandum: aut per subiunctiuum cum Vt, vt militem. Ab hoc verbo nascitur participium ortus, & nomen verbale oriundus, quæ differunt: nam ortus significat differentiam loci in quo, vt ortus sum Compluti: oriundus verò differentiam loci, à quo aliquis originẽ ducit, vt oriundus ex Africa. Verbo nascor eodem modo prorsus vtimur: à quo natalis, & natales, ium, descendunt, cum differentia tamẽ: nam natalis refertur ad diem natalitium, natales verò ad generis conditionem, vt clarissimis natalibus ortus. Patior aliquando solo accusatiuo gaudet, vt grauẽ iniuriam pas-

sus

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ſus ſum:aliquando cum accuſatiuo ablatiuum deſiderat, vt ruſtici iniuriam patiuntur à ciuibus. A verbis huius ſpeciei, manant terna illa participia.

De verbis Communibus.

Quinto loco diſſerit Antonius de verbis communibus, quæ ideò cõmunia dicta ſunt, quòd eiuſdem ſint muneris & conſtructionis cum verbis actiuis, & paſsiuis:nam & ſignificant actionem, quemadmodum verba actiua, & paſsionem, quemadmodum paſsiua. Item in ſignificatione actiua conſtruuntur cum accuſatiuo more verborum actiuorum, vt veneror Deos: in ſignificatione verò paſsiua conſtruuntur more verborum paſſiuorum cum ablatiuo, vt Dii venerantur à me. In qua conuerſione ex ſignificatione actiua in paſsiuam manet perpetuò vox paſsiua, & accuſatiuus vertitur in nominatiuum: & nominatiuus in datiuum vel in ablatiuum cum prepoſitione A, vel Ab, vt ego criminor te: & verbum ex ſignificatione actiua migrat in paſsiuam, tu criminaris mihi vel à me. Tradamus igitur definitionem verbi cõmunis, quando vnicum eſt tantùm genus verborum communium.

Commune verbum eſt, Quod deſinit in, Or, & non habet actiuum in, O: & retinet actiui & paſsiui ſignificationem. Quod deſinit in, Or: ad differentiam actiuorum & neutro-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

trorũ, quæ desinunt in, O. Et non habet actiuum in, O: ad differentiam passiuorum, quæ similẽ vocem habent. Et retinet actiui & passiui significationem: ad differentiam deponẽtis, quoniam deponẽs actiuam tantùm habet significationem, commune verò actiuã & passiuam. Qua de causa cauendum est, ne per verba communia sine casu posteriori loquamur, ne in Amphibologiam & sermonis ambiguitatem incidamus. Ab his verbis omnia formantur participia, vt criminans, criminatus, criminaturus & criminandus. Verba cõmunia pauca sunt, & quia in his nihil dignũ est annotatione, ad verba impersonalia properemus, ne in re facili tempus & operam perdamus.

De verbis Impersonalibus actiuę vocis.

Egit in superioribus Nebrissensis de verborum personalium constructione, nunc de impersonalibus disputat, quę à persona nomen acceperũt. Atque ideo impersonalia per negationem dicta sunt, quasi non personalia: non quòd omnino personis careãt, sed quòd in voce siue actiua, siue passiua, nullã præter tertiam personam, & eam singularem habeãt. Hoc duplex esse testatur Nebrissensis, alterũ quidem actiuæ vocis, alterum verò passiuę. Actiuæ vocis est illud, quod est simile tertiis personis verbi actiuæ vocis, vt miseret, pudet.

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

det. Passiuæ vocis, quod est simile tertiis personis verbi personalis passiuæ vocis, vt curritur, statur. Neque existimes dicta fuisse aut actiuæ vocis, quòd actionem significent, quam impropriè dicuntur significare: aut passiuę vocis, quòd passionem significent, cùm in aperto sit, ea à quibuscunque verbis descendant, actionem significare. Sed id pro certo habeas, actiuæ, aut passiuæ vocis appellata fuisse, propter similitudinem, quam habent cum verbis personalibus, tam actiuę, quàm passiuę vocis. De verbis impersonalibus passiuę vocis posterior erit disputatio, nunc de impersonalibus vocis actiuę disseramus. Ac primùm omnium explicare oportet, quidnam sit verbũ impersonale, qua ratione ab infinitiuo differat, postremò in quot species distrahatur.

Antequàm verbi impersonalis tradatur definitio, quia frequens de numero & persona futura est mẽtio, explicemus necesse est, quidnam sit numerus, quid item persona, quatenus ad Grammaticum videntur spectare. Numerus, est incrementum quãtitatis ab vno ad plura procedẽs. Vnde colliges, binarium iure numerum dici, cùm duabus constet vnitatibus: vnitatem verò impropriè numeri nomẽ sibi vendicare, cùm ab alio non procedat, satis tamen sit numerandi esse principium. Persona verò in præsenti disputatione, capitur pro

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

voce fixa & alicui certæ personæ constituta. Vnde fit, vt vox, amo, sit primę personę: amas, secundæ: amat, tertiæ, & sic de aliis. Aut si mauis, capitur pro mutuo illo consensu & cõcordia nominatiui & verbi in persona, ita vt eiusdem personę sit verbũ, cuius est nominatiuus, qui ei suppositum reddit. Qui consensus vbicunque reperiatur in verbo, personale erit: si verò talis cõsensus non fuerit, verbum efficietur impersonale. His iactis fundamentis, verbum impersonale diffiniamus.

Duæ diffinitiones à Grammaticis tradi solent verbi impersonalis, quæ licèt verbis videãtur discrepare, re tamen ipsa in idem recidũt. Prior est: Verbum impersonale est, quod caret numeris & personis, & eas figura tertiæ personæ repræsentat. Quod caret numeris & personis: hoc est, quod in suis temporibus non habet desinentias præfixas, & determinatas alicui certæ personæ, vt miseret, pudet. Quo potissimùm nomine differt à verbis personalibus, quæ voces habent certis quibusdam personis constitutas. Est enim vox primæ personæ, vt diligo: est item vox secundæ personę, vt diligis, & sic de reliquis: qua determinatione prorsus carent verba impersonalia. Et eas figura tertiæ personæ repræsentat. Hoc est, verbũ impersonale, licèt careat numeris & personis, sub voce tamen tertiæ personæ numeri singu

laris,

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

laris, ad omnes numeros & personas refertur: vt pudet, licèt vox sit singularis tertiæ personæ, sub ea tamen ad omnes personas vtriusq; numeri refertur, vt pudet me, pudet te, pudet nos, & vos. Qua de causa differt ab infinitiuo (vt paulò inferiùs explicabimus) nam infinitiuus sub voce nulli personæ præscripta ad omnes personas & numeros refertur.

Posterior definitio: Verbum impersonale est, quod recti suppositi conuenientia caret. Hoc est, quod suppositum personæ certæ ante se non admittit, cum quo in numero & persona cõuenire possit. Nam licèt obliquos habeat à fronte, cum illis tamen in numero & persona conuenire non potest: nulla est enim concordantia verbi cum obliquis, ac propterea nequeunt obliqui verbo impersonali reddere suppositum. In hanc sentẽtiam conspirauit omnium fermè Grammaticorũ turba, cui ego libens adhæreo, ne videar in re aliqua à cõmuni doctorum hominum iudicio & opinione recedere. Neque habent quicquam ponderis aduersariorum rationes, quibus probare conantur, verba impersonalia admittere ante se suppositum. Prima ratio est de particulis illis, quid, aliquid, nihil, parùm, plurimùm, multùm, cum compositis siquid, nequid: quæ in his orationibus, nihil mea interest, plurimùm mea refert, videntur reddere

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ſuppoſitum verbo impersonali. Respondeo, eas particulas exleges esse, & in neutra terminatione quodammodo aduerbiascere, & siue verbis addantur, siue detrahantur, de eorum natura nihil immutare. Secunda ratio. Infiniti uus, qui pro nomine rẽ verbi significãte plerũq; ponit, verbis impersonalib⁹ potest reddere ſuppoſitum: tantùm nanque valet, mea interest legere, quantùm, lectio ad me pertinet: tua refert audire, quantùm, auditio in re tua est. Respondeo, in huiusmodi locutionibus infinitiuum determinari à verbo impersonali à tergo, & minimè posse eidem verbo impersonali à frõte reddere ſuppoſitum. Quod idem dici posset de oratione ſubiunctiui (quam isti pro tertia afferunt ratione) quæ cùm à tergo determinetur, vt mea interest vt legam, non posset à verbo impersonali regi à fronte: fieri enim non potest, vt eadem orationis pars & à tergo determinetur, & à fronte simul regatur. Illud igitur habeãt omnes pro certo, verbum impersonale, quatenus impersonale est, non posse habere ſuppoſitum; si verò ex impersonali personale fiat, nullus dubitet habere posse ſuppoſitum, quemadmodum & verba personalia. Cicero primo Officio. Quod decet, honestum est, & quod honestum est, decet. Idem eodem opere, Pulchritudo corporis mouet oculos, & delectat: vbi decet & de le-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

lectat personalia sunt, ac propterea à supposita habent.

Differentia infinitiui & verbi impersonalis.

Ex his colligitur triplex differentia verbi impersonalis, & infinitiui, qui æquè numeris & personis caret. Prima est, Quòd verbũ impersonale licèt careat numeris & personis, sub voce tertiæ personæ destinata, ad omnes numeros & personas refertur. Infinitiuus verò sub voce nulli personæ constituta, omnes personas & numeros repræsentat. Amare enim nullius est personæ: quòd si adiunxeris accusatiuũ primæ personæ, efficies primæ personæ, vt me amare: si secundæ, efficies etiam secundæ personæ, vt te amare: idem iudicium esto de reliquis personis. Secunda, Quòd verbum impersonale ad perfectam orationem constituendam nõ indiget præsidio alterius partis, vt mea refert audire: infinitiuus verò perfectam orationem constituere non potest, nisi aliunde accedat præsidiũ aliquod: vt me amare, imperfecta oratio est, nisi adiunxeris, æquũ vel honestum est. Tertia, Verbum impersonale per omnes modos & tempora spargitur: at verò infinitiuus intra vnũ modũ tantùm, & eum quidem ex quinque postremum atq; imperfectum, continetur.

In quot species distrahatur.

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Verbum impersonale actiuæ vocis, in quin que species diuiditur, quia quinque modis cõ structum deprehenditur. Quæ verba exigunt post se genitiuum, cõstituunt primam, vt interest. Quę datiuum, secundam, vt conuenit. Quæ accusatiuum, tertiã, vt decet. Quæ post accusatiuum genitiuum vel infinitiuũ, quintam, vt tædet, pœnitet. Quæ iunguntur infinitiuis impersonalium quintæ speciei, quartam faciunt, vt incipit me tædere: quas omnes suo ordine percurramus.

De prima classe Impersonalium vocis actiuæ.

Verba impersonalia primæ classis, à fronte nullum casum regunt: quod (vt semel præcipiam) est omnibus verbis impersonalibus cõmune. A tergo verò exigunt genitiuum, post quem desiderant infinitiuum vel orationẽ subiunctiui, vt interest præceptoris vera discipulis tradere præcepta, vel vt vera discipulis tradat præcepta: qui genitiuus neque actionem, neq; passionem, sed possessionem significabit. Nam cùm verba huius formæ bonum aliquod vtile significent, quod debeat ab aliquo possideri, necessariò genitiuus ille possessoris personam repræsentare debet, nam alioqui verborum natura frustraretur. Vt in his orationibus, præceptoris interest legere, Senatoris refert administrare Rempublicã, genitiui illi præceptoris & Senatoris, possessiuè capiun-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

piuntur: quasi dicas, officium præceptoris est legere lectionem, & Senatoris munus administrare Rẽpublicã. Vbi nullus est qui ambigat, genitiuos illos, præceptoris & Senatoris, possessiuè capi. Aliquando tamẽ loco genitiui habent accusatiuum cum Ad, vel In. Cicero de natura Deorum, Magni interest ad decus & ad laudem ciuitatis, ita fieri. Terentius in Hecyra, Ita Dii Deęq; faxint, si in rem est Bacchidis. Aliquando ponuntur absolutè cum solo infinitiuo, vel oratione subiũctiui. Cicero ad Atticum, Magnopere interest opprimi Dolabellam, vel vt opprimatur.

Notabis præterea (authore Laurentio lib. 3. Elegan. cap. 3.) verba huius speciei post suã peculiarẽ constructionẽ, admittere quosdã genitiuos æstimationẽ significãtes, quales sunt, tãti, quãti, magni, parui, permagni: vt tanti mea interest, quãti tua, magni mea refert, parui tua refert. Reliqua verò nomina aduerbialiter his verbis apponũtur, qualia sunt multùm, plùs, plurimùm, parùm, paulùm, paululùm, pauxillùm, nihil, nunquid, aliquid, magis, minùs, maximè, minimè. Vt, multùm siue permultùm interest perturbatione quis peccet, an cogitatò. Item plùs interest Reipublicę castellum capi, quàm agros tantùm vastari.

Et sunt duo Interest, & Refert.

Verba huiꝰ speciei tria sunt, interest, refert,

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

est. Huius tamen postremi mentionem Antonius non fecit, quia diuersam à reliquis duobus constructionem habet. Cæterùm vt horum trium verborum natura omnibus innotescat, de his libuit pauca dicere.

De Interest.

Interest, aut est verbum personale, aut impersonale. Si sit verbum personale, diuersam habet tum compositionem, tum significationem, tum etiam constructionem, quàm quando inter impersonalia numeratur. Nam componitur à præpositione, Inter, & est: ac per omnes personas & numeros coniugatur, & tunc ex varia significatione variam etiam sortitur constructionem. Significat aliquando præsentem esse, & tunc construitur cum datiuo vel ablatiuo media præpositione In. Cicero de Senecture, Sæpe interfui querelis meorum æqualium. Idem pro Sexto Roscio, Roscius ne in conuiuio quidem vllo ferè interfuit. Significat pręterea differre, & cõstruitur cum accusatiuo media præpositione Inter, vel cum datiuo. Cicero. 1. Officio. Sed inter hominem & belluam hoc maximè interest. Terentius in Eunuch. Stulto intelligens quid interest? Pręterea significat in medio esse, siue interiacêre, & construitur cum accusatiuo &, Inter. Cicero in Catilinam, Dummodò inter me atque te murus intersit. Ponitur etiam absolutè.

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ſolutè. Liuius de ſecũdo bello Punico, Id morari victoriam rati, quòd interesset amnis. Postremò refertur ad distantiam, & construitur cum eodẽ accusatiuo &, Inter. Cicero de Senectute, Cuius inter primũ & sextũ consulatum sex & quadraginta anni interfuerãt. Si verò sit verbũ impersonale, componitur à præpositione, In, & ablatiuo re: & est, quasi in re est, & significat vtile esse, siue ad nostrã vtilitatẽ pertinere, & construitur tunc cũ genitiuo, & est huius speciei, vt Regis interest Rẽpublicam in pace administrare.

De Refert.

Refert, si sit verbum personale, componitur à Re præpositione, & fero, & significat narrare, repræsentare, dirigere, consultare. In quibus significationibus explicandis morari non est necesse, sunt enim apud authores vulgatissimę. Si sit impersonale, componitur ab ablatiuo, re, & fert, quasi pro re fert, id est, vtilitate & commodo, & significat vtile esse, siue ad rem spectare: & construitur cum genitiuo, vt Senatoris refert, rerum communiũ curam gerere.

De Est.

De Est verbo personali satis multa diximus in verborũ cõsiderationibus. Si verò sit verbum impersonale, significat vtile esse, siue ad rem nostram pertinere, quẽadmodũ & su

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

periora, & construitur cum genitiuo, vt adolescentis est maiores natu vereri. Construitur etiã cũ accusatiuo & præpositione In, vt in rẽ meam est, id est, ex vtilitate mea.

Construuntur verò cum ablatiuo generis fœminini.

Exceptio est eorum, quę dicta sunt. Nam cùm interest, & refert postulent à tergo genitiuum, si iungantur pronominibus possessiuis, meus, tuus, suus, noster, vester, iam nõ genitiuum, sed ablatiuum potiùs generis fœminini numeri singularis exposcunt: vt mea interest legere, tua refert audire. Quibus additur & cuia: vt eius interest fures suspendere, cuia interest iustitiam inuiolatã seruare. Nec loqui posses per genitiuos primitiuorũ, mei interest legere, tui refert audire. Cuius ratio est, nam hæc verba interest & refert, exigunt suo iure genitiuum possessiuæ significationis: cùm verò genitiui primitiuorũ, mei, tui, sui, q adhuc extãt, passionẽ significẽt, fit, vt cũ his genitiuis cõstrui nõ possint. Necessariò igitur recurrendũ est ad pronomina possessiua, quæ possessionem significant: cùm in locum genitiuorum, qui iam olim ab vsu recesserunt, mis, tis, sis, possessionem etiam significantium, substituta sint.

Per ablatiuum autem loquimur, non per alium casum, quia nullus casus est genitiuo (signi=

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

(significatione saltem) similior, quàm ablatiuus. Cuius rei satis apertum testimonium præstat nobis lingua Græca, quæ cùm ablatiuo careat, genitiuo pro ablatiuo perpetuò vtitur, propter significationis similitudinem. Sed cur potiùs fœminina terminatione, quàm masculina vtimur? Quia vt paulò antè explicuimus, interest ab in, & re, & est cõpositum est: refert ab ablatiuo re, & fert. Vt igitur concordantia pronominis possessiui cũ ablatiuo re seruaretur, vtendum potiùs fuit fœminina, quàm masculina, aut neutra terminatione. Idem enim valet mea interest, ac si diceres in re mea est. Idem mea refert, ac fert pro re mea, id est, vtilitate & commodo. Si interest & refert Etymologia tibi non arriserit, recurre ad authorum voluntatem, quibus fœminina vti placuit, potiùs quàm masculina aut neutra.

Sed rogabis, quare nobis vti non liceat his genitiuis mei, tui, sui, non à primitiuis, ego, tu, sui, sed à deriuatiuis, meus, tuus, suus: cùm possessionem significent, quod vnum postulant verba huius formę? Respondeo id à Grãmaticis fuisse cautum, ne in Amphibologiam incideremus, quam Latini sermonis puritas & castimonia vehementer formidat. Quid enim turpius quàm id quod possis omnibus manifestũ facere, tenebris quibusdã & ambigui

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

bigui ſermonis caligine inuoluere, vt ne à doctiſsimis etiam hominibus intelligaris? Cęterùm ſi rem poſſeſſam ſubiungas, nihil obſtat, quominùs ſic Latinè loquaris, mei ſerui intereſt, tui mancipii refert.

Sed rogabis vlteriùs, quare nõ vtamur his genitiuis noſtrûm & veſtrûm, cùm actionẽ etiam ſiue poſſeſsionem ſignificent? Reſpondeo, hos genitiuos noſtrûm & veſtrûm vix aliter quàm partitiuè à viris linguę Latinę peritiſsimis vſurpari, vt aliquis noſtrûm, pauci noſtrûm, multi noſtrûm: & propterea in ablatiuum fuiſſe conuerſos. Tùm etiã propter proportionem & affinitatem, quam habent cum mea, tua, ſua: quod idem de cuia dicendum eſt, nam cùm poſſemus per genitiuum cuius loqui, propter eandem Analogiam loquimur per cuia.

Hæc dicta ſint de intereſt & refert, quando iunguntur poſſeſsiuis. Cæterùm ſi eiſdem poſſeſsiuis iungatur verbũ imperſonale, eſt, vult illa in nominatiuo ſingulari, idq; in neutra terminatione, vt meum eſt, tuum eſt: quę loquendi formæ per genitiuum exponũtur, id eſt, mei muneris & officii eſt, vel ſic, ad meũ munus ſiue officium ſpectat. Nec loqui poſſemus per ablatiuum mea eſt, tua eſt: quia eſt, non habet intra ſe incluſum ablatiuum re, cũ quo poſſeſsiuum conuenire poſsit, quemadmodum

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

modum de interest & refert non multò antè præcepimus.

De nominibus quibus iunguntur, mea, tua, sua.

Illud postremò notabis, quod est omniũ maximè necessarium, hos ablatiuos mea, tua, sua, capi substantiuè. Vnde fit, vt nominibus substantiuis iungi non possint, nisi facta circunlocutione per verbum substantiuum, & nomen relatiuum quis, in hunc modum, mea qui sum præceptor, interest legere: tua qui es discipulus, refert audire: nec dices, mea præceptoris, tua discipuli. Prætereà nec iunguntur adiectiuis, nisi facta eâdem circunlocutione, vt mea qui sum fortis, refert pro patrię salute mortem subire: non mea fortis. Cæterùm excipiuntur certæ quædam adiectiuorum formę, quibus ex vsu Latinorum iungi possunt. Primùm omnium iunguntur his genitiuis vnius, solius, ipsius: vt mea vnius, tua solius, siue ipsius refert musas colere. Sed si has orationes in pluralem numerum conuertas, loquêris per aduerbia: nostra solùm interest, non nostra solorum: vestra tantùm interest, non vestra vnorum: quoniam solus & vnus genitiuis pluralibus carent. Cæterùm cũ genitiuo ipsorum, satis Latinè & eleganter dices, nostra ipsorum, vestra ipsorum. Cicero. 6. Familiarium in Epistola Bythinii ad Ci

cero-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ceronem, Itaque contentus ero nostra ipso=rum amicitia, cuius fiducia peto à te, vt absen tē me, quibuscūq; in reb⁹ opus fuerit, tueare.

Item iunguntur participiis præsentis tem poris, vt mea legentis refert bonos libros e-uoluere. Cęteris verò participiorum formis, pręteriti scilicet & futuri, non ita eleganter adhærêre solent, vt mea percussi interest chi-rurgum quęrere, mea locuti refert dicta de-fendere.

Item adhærent nominibus numeralibus cardinalibus, vt vestra duorum interest ad li teras animum conuertere, vestra trium refert mori pro patria.

Prætereà iunguntur nominibus adiectiuis quæ à Grāmaticis vniuersalia appellantur, vt omnis, cunctus, vniuersus: vt nostra omniū interest in literas vehementer incumbere: quibus adde & partitiua multorum, pauco-rum, vt nostra paucorum, vel multorum in-terest patriam defendere.

Postremò nostra & vestra iunguntur huic nomini collectiuo vterque, sed prærogatiua quadam nominis & linguæ Latinæ proprieta te in genitiuos migrant: vt vtriusque nostrū interest, non nostra vtriusque: vtriusque ve-strûm refert, non vestra vtriusque.

Grammatices regulæ, quæ in his ablati-uis franguntur.

Vt vl=

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Vt vltimam manum imponamus huic primæ impersonalium classi, notabis, propter naturam pronominum possessiuorũ aliquot Grammaticæ regulas deficere. Prima est, Conjunctio copulatiua: vt mea & Petri interest. Secunda, Exponens & expositum: vt mea interest, id est Alfonsi. Tertia, Quo casu quæreris: vt cuia interest Deo seruire? omniũ. Quarta, Adiectiui & substantiui concordantia: vt mea clamãtis, mea ægrotantis. Quinta, Relatiui & antecedentis: vt nostra qui sumus boni, interest Dei mandatis obtẽperare. Sexta, Verba impersonalia primę formæ regunt genitiuum, cum his tamen pronominibus regũt ablatiuum. Violantur tamen omnes hę regulæ voce tenus tantùm, nam in significatione omnes manent saluæ & incolumes: cùm mea, tua, sua, ponantur loco genitiuorum mis, tis, sis, qui iam interciderunt: nostra, vestra, cuia, loco genitiuorum nostrûm, vestrûm, cuius, qui adhuc in Latinorum ore & linguis versantur.

De secunda classe Impersonalium.

Verba secundæ classis regunt post se datiuum, & post datiuum infinitiuum, vel orationem subiunctiui: vt conuenit tibi audire, vel vt audias. Quæ cum infinitiuo, & sine supposito, impersonalia sunt: cũ datiuo verò, & supposito fiunt personalia: vt tuum consilium mihi

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

mihi magnoperè placet, magnum mihi accidit infortunium. Si verò infinitiuus, quē regunt à tergo, sit esse vel fuisse, sequetur post infinitiuum datiuus vel accusatiuus. De datiuo Martialis, Nobis non licet esse tam disertis, Qui musas colimus seueriores. De accusatiuo Terentius in Heautontimo. Nobis esse bonas non licet. Ratio huius præceptionis est, nam ante infinitiuum, esse, subauditur alter accusatiuus. Notabis pręterea, id quod aliôqui his verbis apponi solet in datiuo, non nunquam in accusatiuum transferri, ratione sequentis infinitiui. Cicero pro Lucio Flacco, Hanc te capere non licuit. Et. 1. Officio. Hæc præscripta seruantē licet magnificè, graui ter, animoseq; viuere. Et ne existimes id tā tùm licere in verbo licet, idem Cicero eâdem vsus est constructione in verbo cōuenit, pro Sexto Roscio, Homines ista potestate prędi tos his rebus maximè mederi conuenit.

De multiplicibus verbis Secundæ classis.

Quadruplicia sunt verba huius ordinis. CONVENIENDI, cum contrariis, vt conuenit, cōducit, expedit, confert, obest, nocet, officit: FACVLTATIS, vt licet, vacat: CONTINGENTIÆ, vt accidit, euenit, contingit, vsuuenit: CLARITATIS, vt liquet, patet, constat.

Con-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Conueniendi.

Conuenio quando eſt verbum perſonale, varios habet vſus, nam ſignificat congregari: & conſtruitur cum accuſatiuo media præpoſitione In, vel Ad. Salluſtius in Catilina. Hi poſtquam in vna mænia conuenêre. Cicero pro Sexto Roſcio, Quanta multitudo cõuenerit ad hoc iudicium, vides. Significat etiã alloqui, cum accuſatiuo ſine præpoſitione: vt vellem te paucis ſecretò conuenire. Quando eſt imperſonale, ſignificat decens & conueniens eſſe, cum ſolo datiuo: vt conuenit mihi inſiſtere maiorum veſtigiis. Aliquando ſignificat concordare, aut cum accuſatiuo & inter, vt conuenit inter nos: aut cũ datiuo & ablatiuo, vt conuenit mihi cum fratre.

De Licet.

Licet aliquando adhæret datiuo, vt nemini licet peccare. Aliquãdo cum accuſatiuo & per: & negatiuè prohibitionem, affirmatiuè poteſtatẽ rei alicuius faciundæ ſignificamus: vt non licet tibi per me, vel contrà licet tibi per me. Poſtremò abſolutum miram habet elegantiam, vt rideas licet, conuitieris licet, facias quicquid voles licet. Inter verba huius ſpeciei quædam ſunt, quæ duplex habent preteritum, placuit placitum eſt, libuit libitũ eſt, licuit licitum eſt, diſplicuit diſplicitum eſt.

De tertia Imperſonalium.

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Tertiæ clasſis verba exigunt à tergo accuſatiuum, poſt accuſatiuũ infinitiuum, vel orationem ſubiunctiui: vt decet te facere, vel vt facias. Quæ cũ ſuppoſito & accuſatiuo, ſunt perſonalia, vt talis oratio non decet virũ honeſtatis ſtudioſum. Sine ſuppoſito & cũ infinitiuo, imperſonalia ſunt, vt decet me legere. Sed ſi infinitiuus quem regunt à tergo, ſit eſſe, vel fuiſſe, ſemper poſt infinitiuum ſequetur accuſatiuus, vt decet te eſſe honeſtum hominem. Loco tamen infinitiui, quem à tergo determinant, habent aliquando accuſatiuum participii præteriti temporis: vt vos exoratos decet, id eſt, exorari. Notabis vltimò, duo verba huius ſpeciei, decet, & oportet, reperiri tãtùm perſonalia in tertiis perſonis, quia primis & ſecundis carent: non enim ſunt in vſu, deceo, aut oporteo. Reliqua duo, iuuat, & delectat, perſonalia reperiũtur in omnibus perſonis: ſunt enim vſu quotidiano trita, iuuo, & delecto.

De verbis Tertiæ claſsis.

Quatuor tantùm ſunt verba huius claſsis, delectat, iuuat, oportet, decet: quæ neque actionem, neque paſsionem propriè ſignificant: ſed bonum aut iucundum, vt delectat, iuuat: aut honeſtum, vt decet, oportet. His addũtur & compoſita dedecet, periuuat. Illa autem, fugit, præterit, latet, quæ multi huic ordi

ni ad-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ni adiiciunt, vſitatiùs perſonalia quàm imperſonalia reperiuntur: vt hoc non me fugit, latet, aut præterit. Illud tamen vnum notabis circa verba decet & oportet, fuiſſe ſcilicet olim cum datiuo cõſtructa, & inter verba ſecũdæ claſsis numerata. Liuius lib. 34. Honeſta aut ſola, aut prima certè pẽſari, decet principi orbis terrarũ populo, & tãto regi. Plautus in milite, Homini ſeruo ſuos domitos habere oportet oculos. Sed tu caue ea vtaris conſtructione, quæ in obliuionem iam venit.

De quarta Impersonalium.

Verba quarti ordinis poſtulant à tergo accuſatiuum, & infinitiuum verborum quintæ ſpeciei: qui accuſatiuus potiùs ab infinitiuo dependet, quàm à verbo impersonali, vt debet malos pudere. Hæc autem verba cum ſuppoſito & infinitiuis aliorum verborum, præterquàm quintæ, perſonalia ſunt, vt incipio legere. Sine ſuppoſito verò, & cum infinitiuis verborum quintæ, ſunt impersonalia, vt incipit me tædere vitiorum. Sed ſi obiicias reperiri aliquando perſonalia cum infinitiuis verborũ quintæ in huiuſmodi locutionibus, cœpit ille pœnitere, poſſes pigere, deſinam tędere. Reſpondeo, ex ſententia Laurentii lib. 3. Elegant. capi. 46. ſæpiùs & vſitatiùs dici, cœpit illum pœnitere, poſſet te pigere, deſinet me tędere, in quibus orationibus verba

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ſunt imperſonalia. Quintilian⁹ in milite Mariano, Neque ſi ſit cupidiſsimus vitę pœnitere eum ſui facti poteſt. Cicero de petẽdo Cõſulatu, Si hic ciuis liber eſt, cuius authoritatis neminem poſſet pœnitere. Notabis præterea, verba huius ſpeciei poſſe aliquando habere infinitiuum verborũ paſsiuorũ, vt ſolet dubitari: itẽ verborum imperſonaliũ paſsiuę vocis, vt ſolet ab omnibus curri: itẽ verborũ naturæ, vt incipit luceſcere, ſolet tardiùs in quibuſdam regionibus aduesperaſcere.

De verbis Quartæ claſsis.

Quinq; ſunt verba huius ordinis, incipit, ſiue cœpit, deſinit, ſolet, debet, poteſt: ex qb⁹ aliqua duplex habent præteritũ, vt incepit inceptũ eſt, deſiit deſitũ eſt. Soleo tamen tantùm habet ſolitũ eſt. Iniiciet tamen tibi aliquem ſcrupulum huiuſmodi dubitatio, Si verba tertiæ cum accuſatiuo conſtruantur, item verba quartæ, & quintæ, quidnam inter has ſpecies interſit? Reſpondeo, verba tertiæ cum accuſatiuo & quolibet infinitiuo conſtrui, verba quartæ cum accuſatiuo & infinitiuo: ſed neque accuſatiuus ille regitur à verbo imperſonali, neq; infinitiuus à quibuslibet verbis deſcẽdere poteſt, ſed à verbis tãtùm quintę. Verba autem quintæ non tantùm cũ accuſatiuo, ſed cũ genitiuo etiã conſtruuntur. Latiſsima itaque erit differentia inter has tres ſpecies.

De

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

De quinta Impersonalium.

Verba huius gradus regunt accusatiuum à tergo, post accusatiuum genitiuum, vel infinitiuum loco genitiui, quando genitiuus rem verbi significat, aut à verbo descendit: vt pœnitet me vitæ vel viuere. Si verò à verbo non descendat, loco genitiui non ponitur infinitiuus: vt pudet me patris, miseret me pauperis. Hæc autem verba cum supposito & accusatiuo, sunt personalia, vt non te hęc pudent? Sine supposito & cum accusatiuo & genitiuo, vel infinitiuo loco genitiui, sunt impersonalia, vt pœnitet me peccati vel peccasse. Fiunt autem personalia in tertiis personis tantùm, non in primis, neque secundis: sunt enim ab vsu authorum aliena verba illa, pœnitco, pigeo, pudeo, misereo, tædeo. Ac propterea Antonius dixit, hæc esse propriè impersonalia, si vlla vsquam essent: nam reliqua impersonalia, fiunt personalia in primis, aut secundis personis, hæc autem in tertiis tantùm & rarò.

De verbis Quintę classis.

Quinque sunt tantùm verba huius ordinis, pœnitet, piget, pudet, miseret, tædet: de quibus pauca quædam dicamus. Pœnitet dolere significat, cùm quæ ipsi fecimus, ea nobis posteà displicere incipiunt, & molesta esse, vt pœnitet me tam turpe facinus patrasse.

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Aliquando ſignificat parum videri. Cicero in prologo.1. Officio. Tandiu autem velle debe bis, quoad te, quantùm proficias non pœnite bit, id eſt non parum videbitur. Ab hoc verbo deſcendunt duo participia, pœnitens & pœnitendus. Cicero Familiarium.12. Portus optimus pœnitenti mutatio conſilii. Suetonius in Veſpaſiano, Firmauitque tandem gẽs Flauia, obſcura illa quidem, ac ſine vllis maiorum imaginibus, ſed tamen Reipublicæ nequaquam pœnitenda, id eſt, non parui æſtimanda. Item pœnitendum, gerundium. Salluſtius in Iugurtha, Num eorum pœnitendũ ſit. Pœniturus rarò reperitur. Accius, Quòd ſi procedit, neque te, neque quenquam arbitror pœniturum tuæ laudis.

Piget rarò perſonale reperitur. Plautus in Menœch. Adoleſcens queſo loquere tuũ mihi nomen, niſi piges. Habet duplex pręteritũ piguit vel pigitum eſt. Gellius lib.12. Pigitum eſt cunctos ſaltem eſſe penulatos. Inde participium in, dus. Propertius. lib.4. Hoſtis abinuita verba pigenda lyra. Cicero de claris Oratoribus vſus eſt gerundio, Ad miſericordiam inducitur, ad pudendum, ad pigẽdum. Pudet duplex habet præteritũ, puduit vel puditum eſt. Apuleius pro Magia, Nonne vos puditũ eſt hæc crimina tali viro obiectare? Hinc prodeunt tria participia, pudens, puditurus, pudendus.

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

dendus. Cicero.13. Familiarium, Hominem pudentem & officiosum cognosces, & dignũ qui à te diligatur. Plinius. 36. Tanquam puditurum esset extinctos. Gellius lib.1. Nec pudenda dico aut pœnitenda.

Miseret, format pręteritum misertum est. Terentius in Heautontimo. Ita me Dii amabunt, vt me tuarũ misertũ est Menedeme fortunarũ. Ab hoc verbo proficiscitur miserescit, quod impersonale reperitur. Idẽ in Heautontimo. Inopis te miserescat mei.

Tædet præterito caret, illud tamen mutuò sumit à verbo composito pertæsum est. Inde nascitur participium pertæsus, quod omissa sui verbi origine cum accusatiuo cõstruitur. Suetonius in Iulio, Pertæsus ignauiam suam. Idem in Augusto, Pertęsus morum peruersitatem.

De verbis Impersonalibus passiuæ vocis.

Post tractationem verborum impersonaliũ actiuæ vocis, disputat Nebrissensis de impersonalibus vocis passiuæ: quæ ideò passiuę vocis dicta sunt, quòd similia sint tertiis personis verbi personalis vocis passiuæ. Formantúrque à tertiis personis singularibus vocis actiuę addita, vt: vt currit curritur, pugnat pugnatur. Neq; existimes eadẽ esse verba cũ passiuis, quia terminatione vocis simillima

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ſunt inter ſe:nam licèt vocis gerant ſimilitudinem,triplici tamen de nomine differunt. Tũ primò,quia verba paſsiua paſsionem ſignificant:impersonalia verò paſsiuæ vocis perpetuò ſignificant actionem,à quibuſcũque verbis oriãtur.Præterea paſsiua verba ſuppoſitũ habent,cum quo in numero, & perſona conueniant: impersonalia verò eo prorſus ſunt orbata.Poſtremò paſsiua à verbis actiuis deſcendunt, à quibus impersonalia originem trahere non poſſunt, quatenus actiua ſunt, vt non multò pòſt apertè demonſtrabimus. Aggrediamur igitur propoſitam materiam, & explicemus,quidnam ſit verbum impersonale paſsiuæ vocis, quid ſignificet, à quibus verbis deſcendat,quo pacto conſtruatur. Nã præter hæc nihil eſt, quod ampliùs poſsit in hac materia deſiderari.

Quid ſit.

Verbũ impersonale paſsiuę vocis eſt,quod neque expreſſum, neque ſubintellectũ ſuppoſitum habet, cum quo conueniat, & eſt ſimile tertiis perſonis numeri ſingularis vocis paſsiuæ. Exponamus membra diffinitionis.Quod neque expreſſum, neque ſubintellectum ſuppoſitũ habet.Nam hoc eſt verbis omnibus impersonalibus commune, vt ſuppoſito careãt:cum quo in numero & perſona conueniant: quemadmodum & verba

perſo-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

personalia hoc habent proprium, vt à fronte suppositum habeant, cum quo in duobus accidentibus, numero scilicet & persona concordent, vt ego amo. Additur tamen in definitione, Neque subintellectum. Propter Priscianũ, qui asserit sub verbis impersonalibus passiuæ vocis nominatiuum rem verbi significantem subintelligi. Nam cùm dico (inquit) curritur, cursus intelligitur: cùm dico sedetur, sessio: cùm ambulatur, ambulatio. Quæ opinio falsa est, tum quia tollit omnia verba impersonalia, nã ea verba manifestè personalia sunt, sub quibus similis intelligitur nominatiuus. Tũ quia sic tribuit passiuam significationem verbis impersonalib' passiuæ vocis. Et est simile tertiis personis passiuę vocis. Nã impersonalia in voce simillima sunt tertiis personis passiuorũ, & per eas tantùm coniugantur, idque non tantùm in præsenti, sed in reliquis temporibus, vt curritur, currebatur, cursum est.

Quid significet.

Verbum inpersonale passiuæ vocis semper significat actionem, idque ex resolutione patè repotest. Resoluitur enim per verbum actiuũ numeri pluralis sub eodem tempore, & ablatiuo personæ agentis in nominatiuum conuerso: vt reclamatur ab omnibus, idest, omnes reclamãt, curritur ab omnibus, id est, omnes currunt. Quæ resolutio multò aptior est, quàm

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

illa Prisciani per nomẽ verbale & verbum fio, curritur, id est cursus fit: certatur, id est, certamen fit. Sic enim significarent passionem impersonalia, quæ significatio ab eorum natura plurimùm abhorret.

A quibus verbis descendat.

Oritur autem verbum impersonale passiuę vocis propriè à verbis neutris absolutis, vt itur, curritur, certatur. Vergi. 10. Ænei. Macte nouavirtute puer, sic itur ad astra. Hora. 1. Sermo. Saty. 1. Concurritur, horę momento cita mors venit, aut victoria læta. Item Vergi. 10. Æneid. Certatur limine in ipso Ausoniæ. Oritur etiam à verbis neutris secundi ordinis, vt à noceo nocetur, à seruio seruitur. Cicero. 1. Officio. Primùm vt ne cui noceatur, deinde vt communi vtilitati seruiatur. A reliquis verborum neutrorum formis, cæterisque verborum generibus impropriè & rarò descendũt. Plautus in Pseud. Quid agitur Callidôre? amatur, atque egetur acriter. Idem in captiuis duobus, Quasi cùm caletur, Cochleæ in occulto latẽt. Sallusti' in Iugurtha, Vti ex libris Punicis interpretatum nobis est, quàm paucissimis dicam. Apuleius lib. 4. Metamorph. Mœretur, fletur, lamentatur diebus plusculis. Quæ quoniã rara sunt, pro regula assumi non debẽt: neque enim à nobis relata sunt, vt vsui sint, sed vt noscantur tantùm. Ab actiuis verò

abso

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

absolutis, hoc est, regimine accusatiui casus carentibus, bene descēdere possunt impersonalia, vt est communis omnium fermè Grammaticorum sententia. Verg. 1. Ecloga, Vsque adeò turbatur agris. Macrobius. 1. Saturnaliorum, Eundē esse Iouē & solem claris docetur indiciis. Cæterùm à verbis actiuis quatenus actiua sunt, & sui accusatiui cōstructione gaudēt, impersonalia passiuæ vocis descendere non possunt: nam si sic, iam post suā priuatā syntaxim, regerēt accusatiuū, quod à veritate prorsus abhorret. Nō enim Latinè dici posset, Matthæū legitur, sed Matthæus: Grammaticā auditur, sed Grammatica. Si obiicias, eâdem proportione, qua Latinè dicitur, læditur manum, frangitur pedem, posse etiam dici, legitur Matthęū, amatur Deum. Respondeo, diuersam esse rationem, nam in prioribus, per Synecdochen toleratur constructio: in posterioribus Synecdoche locum habere non potest, cùm neque ibi totum sit, nec pars, nec proprietas quæ cōueniat toti. Si iterum obiicias, Nebrissensem in verborum coniugationibus à verbis actiuis formasse impersonalia, amatur, docetur, legitur, auditur. Respondeo, id fuisse consultò à Nebrissense factum, vt pueri in vna verbi positione tres simul voces agnoscerent, actiuam, passiuam, & impersonalem: vt ad eam normam, & proportionem reliqua scirent

rent declinare. Non tamen inde colligas, eam fuisse Nebrissensis mentem, à verbis scilicet actiuis formari posse impersonalia.

Quo pacto construatur.

Verbum impersonale passiuæ vocis à fronte nullum regit casum, à tergo verò ablatiuum cum præpositione A, vel Ab, significantem generalitatem, vt curritur ab omnibus: siue ablatiuũ nominis collectiui, vt curritur ab vtroq; certatur à populo. Aliquando tamen hic ablatiuus ex authorum vsu est numeri singularis. Cęsar. 1. bellorum Ciuilium, Nequis inuitus sacramentum dicere cogatur, cauetur à Cæsare. Cicero. 5. Familiarium, Nihil est à me inseruitum temporis gratia. Seneca Epist. 85. Sapiẽti nocetur non à paupertate, non à dolore. Tacitus lib. 1. A Marco Martio prosperè pugnatum est. Cæterùm præcepta de iis, quæ frequẽtiùs contingunt, tradi solent. Præterea regunt casum verbi à quo descendũt pręter ablatiuũ: vt seruitur tibi ab omnibus, nihil mihi noceri potest. Iunguntur adhæc casibus generalibus, quales sunt casus præpositionum, Itur in antiquam syluam. Effectiuus, certatur comminus armis. Casus locorum, vt itur Romam. Casus temporis, vt decem annos à Grecis cũ Troianis certatum est.

De infinitiuis.

Post verba impersonalia tam actiuæ quàm passi-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

passiuæ vocis, disserit author de verbis infinitis. Quæ licèt cum impersonalibus in eo conueniant, vt vtraq; numeris & personis careãt, dissident tamen longo interuallo: cùm impersonalia sub figura tertiæ personæ speciẽ quandam & effigiem numerorum personarumque nobis repræsentent: infinita verò quantum in se est, nullos neque numeros designent, neq; personas. Atq; ideò dicta sunt infinita, quòd nihil habeant finitum, certum, aut determinatum, sed omnia sint in eis indefinita atq; indeterminata. Cùm igitur iam liquidò cõstet, vnde infinita nomen acceperint: examinemus necesse est, quidnam infinitiuus sit, vnde determinetur, quo pacto construatur, & qua item ratione ex voce actiua in passiuam conuertatur. Quibus omnibus pulchrè examinatis, nihil erit, quod in hac materia scholasticorũ animis aliquid negotii possit facessere.

Quid sit Infinitiuus.

Quoniam infinitiuus variis modis accipitur, vixque posses intelligere de quo infinitiuo finitio tradi debeat, vt omnis de medio tollatur ambiguitas, eos in principio disputationis libuit percurrere. Vsurpatur Primò pro nomine, idque in tribus potissimùm casibus, nominatiuo. Persius. 1. Saty. Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter, id est, sciẽtia tua nulla est. Accusatiuo. Idem eâdem Saty. Tunc

cùm

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

cùm ad caniciem, & nostrum istud viuere triste Aspexi, id est, nostram istam vitam tristem. Genitiuo (tametsi rarò) Terẽtius in Eunucho, Certè extrema linea amare haud nihil est, id est, amoris. Tunc verò quando pro nomine capitur, ab alia parte orationis nõ determinatur nec regit casum, sed perinde ac nomen siue à frõte, siue à tergo regitur. Secundò pro præterito imperfecto indicatiui tam vocis actiuæ quàm passiuę: & tunc nominatiuũ pro supposito ante se exigit, post se casum verbi finiti. Quod ideo præstantissimos authores fecisse asserit Donatus, vt oratio sit maioris asseuerationis, cõcitatiorisque motus. Sallustius in Iugurtha, Milites Romani perculsi insolito metu, arma capere, alii sese abdere, pars territos confirmare, trepidare. Verg. 2. Æneid. Iamque dies infanda aderat, mihi sacra parari, id est, parabantur. Hoc dicendi genere, quoniam elegãtissimum est, & Poëtis & Historicis vti licet. Tertiò pro gerundio genitiui & accusatiui casus, Græcorum more: qui cùm gerundiis careant, infinitiuo pro gerundiis vtuntur. Verg. 2. Georgi. Et iam tempus equûm fumantia soluere colla, pro soluendi. Idem in Bucolicis Ecloga. 7. Et cantare pares, & respondere parati, id est, ad cantandum & respondendum: hic modus propter metri necessitatẽ est Poëtis admodum familiaris. Quartò pro partici-

pio

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

pio præsentis & futuri in,dus. Vergilius in Bucolicis Ecloga.3.Phyllida amo ante alias, nam me discedere fleuit,id est,discedente. Idem.5. Ænei. Argenti magnũ dat ferre talentũ, id est ferẽdũ. Quintò pro priori supino, vt vado piscari,id est,piscatũ:tamẽ hic modus infrequẽs est. Sextò pro subiũctiuo, vt nõ veni soluere, id est,vt soluã. Septimo in propria forma & natura, quãdo à parte anteriori ab aliqua orationis parte determinatur, à posteriori verò regit casum verbi à quo originem trahit: vt honestissimum est me voluptatibus carêre. De infinitiuo igitur in propria vi capto, traditur sequens diffinitio.

Infinitiuus est, qui non habet determinatos numeros neque personas,indigetq; altero verbo, vt perfectum sensum significet. Examinemus partes finitionis. Qui non habet determinatos numeros & personas. Nã infinitiuus per se sumptus nullius est numeri, nec personę,sed per adiũctionẽ suppositi ad certum numerum & personam reducitur:ita vt me amare sit primæ personæ,te amare secundæ,illum amare tertiæ. Indigetque altero verbo, vt perfectum sensum significet:siue eiusdem modi, siue alterius. Eiusdem, Vergi.1.Ænei. Nec posse Italiá Teucrorum auertere Regẽ. Alterius, vt cupio modis omnibus Deo seruire. Nota etiã eã partẽ finitionis nõ tãtùm de verbo, sed

de

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

de nomine etiam & participio debere intelligi: nisi enim ab vna harum partium terminetur infinitiuus, perfectum sensum aut sententiam importare non potest. Adeò enim debilis est naturæ & imperfectæ, vt per seipsum, nec numeros certos, nec certas personas, nec certam sententiam habere possit, nisi aut nominis, aut verbi, aut participii præsidiis adiuuetur.

Vnde determinetur.

Ex definitione patet, infinitiuum esse modum imperfectum, & indigere determinatione alicuius partis orationis, vt aliquid perfectũ significet. Declaremus igitur necesse est, quid sit infinitiuum determinari, & à quibus partibus orationis huiusmodi determinationem accipiat. Tunc infinitiuus determinari dicitur, cùm ad certã personã & numerũ coarctatur, ita vt ex vaga & incerta natura, tũ numeris tũ personis certus fiat. Solet aũt determinari à trib⁹ partib⁹ orationis, nomine, verbo, & participio. De quibus singulis dicamus oportet. Nomina aut sunt substãtiua, aũt adiectiua: si substantiua, adhærêre solent gerundio genitiui, preter pauca quædã quæ determinant infinitiuũ. Ea sunt, res, opus, fas, nefas, operæpretiũ, vsus, & adiectiua in neutro genere substãtiuè capta. Id exemplis verũ esse ostendamus: optima res est agricolare, non agricolandi: nõ est

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

est mihi opus respondere, non respondendi. Fas siue nefas est dicere, non dicēdi: operępretium est audire, non audiendi: honestum est inopi succurrere, non succurrendi. De vsus, idem censeto, quod de opus. Si verò sint adiectiua, ex his quædam determināt infinitiuum tantùm, vt lætus te bene valere, dignus habere multas opes. Quędam tam infinitiuū, quàm genitiui gerundium, illa præsertim, quæ à verbis originem trahunt: vt timidus, cupidus, auidus nauigare & nauigandi.

Secundò determinatur infinitiuus à verbis varii generis: voluntatis, vt volo, cupio, desidero, opto, debeo, habeo facere. Itē à verbis sensus, vt video, audio, intelligo, sentio. Pręterea à principii, medii, finis, vt incipio, soleo, desino militare. Item imperii, vt impero, iubeo, præcipio tibi facere. Potestatis, vt possum, valeo tibi iniuriam inferre. Postremò à verbis impersonalibus vocis actiuæ, vt conuenit mihi docere, iuuat me saltare. Linguę, vt dico, aio, affirmo: & ab aliis verborum formis, quas superuacaneum esset recensêre.

Tertiò à participiis suam naturam retinentibus, vt timens nauigare, cupiens discere, doctus, promptus, consuetus cantare. Cæterùm si à sua natura degenerent, & in vim nominis transeant, gerundium genitiui determinant: vt cupiens discendi, timens nauigandi. Nam

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

participia iuncta infinitiuis, dicuntur seruare vim participiorum: iuncta gerundio, vim nominum. Aliquando determinatur à verbo & nomine simul iunctis, quando altero sublato, alterum determinare infinitiuum nõ potest: vt non est animus acerbitatem tuarum literarum hîc commemorare: item graue est Rempublicam gubernare. Aliquando ponitur sine determinatione per eclipsim. Vergi. 1. Æneid. Méne incepto desistere victam? subintelligitur tamen decuit, aut aliud quid piã, à quo infinitiuus determinetur.

Quo pacto construatur.

Vt certa de infinitiuorũ constructione præceptio tradi possit, distinguas oporter de infinitiuo. Nam aut est personalis, aut impersonalis: si personalis, aut adiectiuus aut substantiuus. Agemus igitur primo loco de infinitiuo personali adiectiuo. 2. de substantiuo. 3. de impersonali. Infinitiuus personalis verbi adiectiui, à fronte regit accusatiuum personæ agentis in actiua significatione, & personæ patientis in passiua: à tergo verò casum verbi, à quo descendit: vt me amare Deum bonum est, parentes castigare filios laudabile est, carere voluptatibus, & inseruire amicis iocundum est. Per passiuam sic, Deum à me amari bonum est, filios à parẽtibus castigari laudabile. Quoties tamen infinitiuus actiuæ significationis

cum

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

cum duobus accusatiuis construitur, altero à parte anteriori, altero à posteriori, Amphibologica est constructio: quæ tanquã vitiosa modis omnibus fugienda est. Quale fuit oraculum illud Apollinis, Aio te Æacida Romanos vincere posse. Ambiguum erat, vter esset victurus, an Pyrrhus Rex Epirotarum, an populus Romanus: quæ oratio si per vocem passiuam fiat, omnis tolletur Amphibologia, Aio te Æacida vinci à Romanis posse. Permittitur etiã huiusmodi locutio per duos accusatiuos, quando in sensu orationis nulla est ambiguitas: quale est illud Terentii verbum in Eunucho, Ego me illam amare fateor. Item illud, Heus tu purgem me de isthac Thaidi, quòd me eam amare suspicatur? Aduertas etiam oportet, infinitiuum à fronte aliquando cum accusatiuo construi non posse, sed cum nominatiuo: quando scilicet verbi determinati, & determinantis est idem suppositum. Quod contingere solet cum verbis voluntatis, potentiæ, principii, medii, & finis: vt cupio legere, non cupio me legere: possum tibi inseruire, non, possum me tibi inseruire: licèt aliquando in oratione exprimatur. Cicero in Catilinam, cupio me esse clementem. Terentius in Eunucho, Mori me malim: pro cupio esse clemens, & mori malim. Cæterùm quando suppositũ verbi deter-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

minātis & determinati, nō est eiusdē personę, necessariò exprimit' accusatiu⁹: vt cupio te id facere, volo te vti amico nostro familiarissimè

De infinitiuo Esse.

Secundo loco promisimus nos tractaturos de infinitiuo verbi substantiui, cuius constructio, quoniam varia est, quibusdam regulis explicabitur. Sit prima: Si præcesserit nominatiuus solus infinitiuum, esse, sequetur alter nominatiuus, vt cupio esse Poëta. Si verò pręcesserit nominatiuus cū datiuo, aut sunt eiusdē personę, aut diuersarum: si eiusdem, sequetur nominatiuus, vt videor mihi esse doctus: si diuersarū, aut casus sequens respondet nominatiuo aut datiuo: si nominatiuo, sequet' nominatiu⁹, vt videor tibi esse doctus: si datiuo, sequetur etiā datiu⁹, vt Deus dedit tibi esse beato.

Sit secunda: Si præcesserit genitiuus, sequetur accusatiuus, & non alter genitiuus, vt Ciceronis interfuit esse eloquentem, Romanorum retulit esse bellicosos: non eloquentis, aut bellicosorum, quia huiusmodi constructio est Latinis auribus inaudita.

Sit tertia: Si præcesserit datiuus, sequetur datiuus, vel accusatiuus, quia alter accusatiuus à fronte intelligitur: vt natura dedit omnibus esse beatis, vel beatos. De datiuo, Cicero lib. 1. Tuscula. Licuit ocioso esse Themistocli, licuit Epaminōdę. De accusatiuo, Idē pro Cor

ne-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

nelio Balbo, Ciui Romano licet esse Gaditanũ.

Sit quarta: Si præcesserit accusatiuus, sequetur semper accusatiuus: vt volo me esse Poëtam, & non Poëta.

Sit quinta: Si præcesserit vocatiuus, sequetur nominatiuus, quia alter nominatiuus secũdæ personæ à fronte intelligitur: vt Petre vis esse contubernalis meus?

Sit sexta: Si præcesserit ablatiuus sequetur accusatiuus multò elegãtiùs, quàm ablatiuus: vt vtor Petro volenti esse contubernalẽ meũ, vel contubernali meo.

Sit septima: Si nullus casus præcesserit, sequetur accusatiuus: qui casus magis quadrat infinitiuorũ naturæ. Ouidius. 5. Metamorph. Quantum est esse Iouis fratrem? Et. 9. Et me dignus eras, verùm nocet esse sororem. Quæ regulæ traditæ sunt pro infinitiui, esse, cõstructione, poterunt ad verba reciproca & vocatiua accommodari.

De infinitiuo impersonali.

Infinitiuus verbi impersonalis à fronte nullum casum regit, à tergo verò tam in voce actiua, quàm in passiua construitur cum aliorum modorũ casibus: vt mea referre in virtutis studio immori quis dubitat? Item nihil est Deo gratius, quàm hominem peccati commissi pudêre. Item etiam, ab scholasticis in arena literaria strenuè certari quis non gaudet?

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

De conuersione infintiui actiui in passiuum.

Fit autem cõuersio vocis actiuę in passiuã, in hunc modum. Accusatiuus patiẽs, qui est à tergo, mutatur à fronte in eodem casu: accusatiuus verò agens qui erat à fronte, mutatur in ablatiuum cum præpositione A, vel Ab, vel in datiuum à tergo. Vt bonũ est me amare Deũ, bonum est Deum amari à me vel mihi. Posses etiam accusatiuum agentem qui erat ante infinitiuum, mutare in accusatiuum post infinitiuum mediis præpositionibus, Per, Inter, Apud: vt intelligo viros probos Deum colere, intelligo Deum coli per viros probos, siue inter, vel apud viros probos. Fallit tamen cõuersionis regula, quãdo infinitiuus determinatur à verbis significantibus potestatem, principiũ medium, finem, aut obligationem aliquã. Tũc enim accusatiuus patiens mutatur in nominatiuum, vt ego possum, incipio, soleo, desino, debeo Deum colere: Deus potest, incipit, solet desinit, debet à me coli.

De Circunloquijs.

Perductis iam ad finem infinitiuis, reliquũ est, vt de circunloquiis agamus: quæ ideò circunloquia dicta sunt, quòd per ea futurũ infinitiui tam vocis actiuæ, quàm passiuę circũloquamur. Nam cùm nullũ in lingua Latina verbũ sit, quod propriũ habeat infinitiui futurũ (præter forem defectiuũ, quod habet fore pro futu-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

futurum esse) illud necessitate quadam ex diuersis partibus conficere coacti sumus. In primis explicemus, quidnã sit circũloquiũ, mox quotuplex sit, deinde sigillatim omnia circũloquia suo ordine percurremus, ex quibus partibus conficiantur ostendentes.

Quid sit Circunloquium.

Circunloquium est quidam verborum circuitus, quo pluribus verbis explicamus, quod vno explicari poterat: vt ego sum amans, pro ego amo: ego eram amans, pro ego amabam.

Quotuplex sit.

Est autem duplex circunloquium, voluntarium, & necessarium. Voluntariũ est, quando id quod vno verbo dicere possemus, pro volũtate & arbitrio nostro pluribus explicamus. Quo pacto omnia vocis actiuę circũloquia voluntaria sunt, quãdo ea fieri, aut nõ fieri ex nostra pẽdet volũtate: vt ego sum legẽs, pro ego lego: vtinã ego essem legẽs, pro vtinã ego legerem, de quo circũloquio non est in præsentia sermo. Necessariũ est, quãdo id quod vno verbo dicere non possemus, cogimur pluribus dicere: quo pacto omnia circunloquia vocis passiuæ, quæ fiunt per participium præteriti & verbum substantiuum, necessaria sunt. Item etiam omnia circũloquia futuri infinitiui modi tam vocis actiuæ quàm passiuæ, de quibus

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

modò ſuſcipitur diſputatio. Sunt igitur tria circunloquia huius futuri in voce actiua, totidem in paſsiua.

De Amatum ire, primo circunloquio vocis actiuæ.

Primum circunloquium actiuæ vocis fit ex priori ſupino, & infinitiuo, ire, vt ſpero me amatum ire Deum. Vbi notabis, amatum ire, tẽpus futurum ſignificare, non pręſens: ac licèt ire, per ſe ſumptum motum ſignificet, in circunloquio tamẽ nullũ motũ præſeferre. Laurentius tamen Valla lib. 1. Elegant. cap. 28. affirmat, amatum ire tempus præſens ſignificare. Nam aliud eſt (inquit) oratum ire, quàm oraturum eſſe, aliud cœnatum ire, quàm cœnaturũ eſſe. Nam oratum ire, cœnatũ ire, tẽporis ſunt præſentis: oraturum eſſe, cœnaturum eſſe, futuri. Quibus verbis ſi ſentiat amatum ire, quatenus prius ſupinum eſt à verbo motus determinatum, tempus præſens ſignificare, ſatis egregiè pręcipit: neq; id quiſquam qui ſani ſit cerebri, negare audebit. Cæterùm ſi ſentiat, amatum ire, quatenus futurum infinitiui eſt, tempus præſens importare (quod ego de tãto viro mihi perſuadere non poſſum) deceptus planè eſt. Notabis prætereà, hoc circunloquium à verbis ſignificantibus actionem, ſignificare etiam actionem, vt ſpero te amatum ire Deum. A verbis verò ſignificantibus paſ-

ſio-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ſionem, ſignificabit etiam paſsionem, vt ſpero te vapulatum ire, Hoc idem circunloquiũ à fronte regit accuſatiuum agentis, à tergo casum verbi cuius eſt circunloquium, vt ſpero te ſeruitum ire Deo.

De Amaturum eſſe, ſecundo circunloquio vocis actiuę.

Secundum circunloquium vocis actiuæ fit ex participio futuri in, rus, cum infinitiuo eſſe, vt ſpero me amaturum eſſe Deum. Quod per omnia genera & numeros variatur, conuenitque ſemper cum accuſatiuo rei agentis in genere, numero, & caſu: vt ſpero me amaturum eſſe, ſpero virginem nupturã eſſe, ſpero viros amaturos eſſe, & fœminas etiam amaturas. Hoc etiam circunloquiũ à verbis ſignificantibus actionem, ſignificabit actionem: à paſsionem ſignificantibus, paſsionem: vt ſpero te amaturum eſſe, ſpero te vapulaturũ eſſe. Ante ſe habet accuſatiuum, poſt ſe, caſum verbi cuius eſt circunloquium, vt ſpero te ſeruiturum eſſe Deo. Laurentius Valla lib. 1. Elegant. cap. 26. affirmat, dici non poſſe amaturũ fore, ita vt loco eſſe, ponatur fore, ne duo participia tempus futurum ſignificãtia coniungantur: tantum enim valet amaturum fore, ac amaturum futurum. Cum infinitiuo igitur fore, præcipit loquendum eſſe per nomina, amatorem vel amicum fore, vel per

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

participia facta nomina, amantem fore. Cæterùm hæc præceptio, authorum vsu falsa esse probatur. Cicero ad Atticũ lib. 5. epistola vltima, Deinde addis, si quid secus, te ad me fore venturum. Idẽ pro Milone, Viuo Publio Clodio nihil horum vos visuros fore. Idem sit iudicium de amandum fore. Idem Cicero tertio Familiarium, Quasi diuinarem tali in officio fore mihi aliquando experendum studiũ tuum. Liuius Decadis quartæ libro septimo, Aut sub pellibus habendos milites fore. Idẽ libro sexto eiusdem Decadis. Eò quoque mittendos fore legatos.

De Amaturum, tertio circunloquio vocis actiuæ.

Tertium circunloquium vocis actiuæ, fit ex solo participio futuri in, rus, in accusatiuo posito, idque in neutra terminatione indeclinabiliter: vt spero viros amaturũ. Quod deseruit omnibus generibus vtriusque numeri, vt spero virginem nupturum tibi, & virgines nupturum viris. Accipiet autem significationem, iuxta rationem verbi à quo descendit: à fronte accusatiuum habet, cum quo nõ conuenit in genere aut numero: à tergo regit casum verbi, à quo descendit. Hoc tamen circunloquio, licèt proprium futurum infinitiui esse dicatur, non vtimur, licèt antiqui eo frequenter fuerint vsi.

De

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

De Amatum iri, primo circunlo quio vocis passiuæ.

Primum circunloquium passiuæ vocis fit ex priori supino & infinitiuo iri verbi impersonalis vocis passiuæ, vt spero me amatum iri à Deo. Et quanuis fiat ex duabus partibus actionem significantibus, totum tamen circũloquium passionem significat. Cicero lib. 5. Episto. 1. episto. Quinti Metelli, Existimaram pro mutuo inter nos animo, & pro reconciliata gratia, nec absentem ludibrio læsum iri, nec Metellum fratrem ob dictum, capite ac fortunis per te oppugnatum iri. Vbi bis in eâdem periodo eodem circunloquio vsus est Cicero in passiua significatione. Idẽ 2. Rhetoric. Deinde cæteros à virtutis studio repulsum iri. A fronte regit accusatiuum rei patientis: à tergo ablatiuum cum præpositione A, vel Ab: vt nunquam putaram fratrem meum lęsum iri abs te. Qua in parte deceptus est Antonius, qui in commentariis asserit, iri, verbum esse impersonale vocis passiuæ, & actionem significare: & non posse construi cum ablatiuo, nisi ablatiuus ille generalitatem significet, quemadmodum in verbis impersonalibus passiuæ vocis ab eodem præceptum est. Vnde negat, Latinè dici posse, spero me amatum iri à Deo, quoniam ablatiuus ille generalitatẽ nõ significat.

Sed

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Sed opinionem hanc falſam eſſe oſtendũt authoritates Ciceronis à nobis paulò antè citatæ,& communis etiam Grãmaticorũ ſchola.

De Amandum eſſe,ſecundo circunloquio vocis paſsiuæ.

Secundum circũloquiũ paſsiuæ vocis fit ex participio futuri,in dus,cum infinitiuo eſſe,ſiue fore:vt amandum eſſe, amandum fore.Quod per omnia genera & numeros variatur,conuenitque ſemper cum accuſatiuo rei patientis in genere,numero,&caſu:vt ſpero Deum amandum eſſe à me, vel matrem à me colendam,vel ſtudioſos adoleſcẽtes à me honorificis præmiis exornandos. Significat ſemper paſsionem, & ante ſe regit accuſatiuum patientis,poſt ſe caſum verbi paſsiui, à quo deſcendit,vt in exemplis propoſitis videre eſt.

De Amandum, tertio circunloquio vocis paſsiuæ.

Tertium circunloquium paſsiuæ vocis fit ex ſolo participio futuri in,dus,in accuſatiuo poſito,idque in neutra terminatione indeclinabiliter,vt amandum. Quod deſeruit omnibus generibus vtriuſque numeri,vt ſpero pacem petendum,virtutes amandum.Nec concordat cum accuſatiuo patienti,ſignificatque ſemper paſsionem, & ante ſe regit accuſatiuum,poſt ſe verò caſum verbi paſsiui à quo

deſcen-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

descendit, vt spero virtutes colendum ab omnibus. Hoc tamen circunloquio nos nõ vtimur, licèt eius fuerit apud antiquos frequẽs vsus. Lucretius, Æternas quoniam pœnas in morte timendum. Vergil. etiam ad antiquitatis imitationem, Et pacem Troiano ab rege petendum.

Hæc sunt circunloquia tam vocis actiuæ, quàm passiuæ. Si tamen quæras, an à verbis deponentibus tertiæ classis oriatur secundũ vocis passiuæ circunloquium, item à verbis neutris passionem significãtibus. Respõdeo, ex duobus prius fieri posse, vt spero amicos à me consolandos esse: posterius verò minimè, non enim Latinè dicitur, credo me exulandum esse, aut exulatum iri, sed exulaturũ, aut exulatum ire: ne duo passiua (teste Valla) coniungamus.

De Gerundiis.

Post verba infinita, disputat Nebrissensis de Gerundiis, quæ à gerendo dicta sunt: siue quòd significationem & constructionem aliquando gerant verbi, à quo descendunt: siue (quod multò mihi magis placet) quòd rei administrationem siue habitum sine tempore significent: gerere enim apud probos authores, & Latinitatis principes administrare significat. Vtrùm verò gerundium ab octo partibus orationis diuersum sit, an inter eas cõnume-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

numerari debeat, non est parua inter veteres Grãmaticos cõtrouersia. Diomedes, Probus, Donatus verbũ esse affirmant, cùm more verbi post se casum regat, vt tempus est carendi voluptatibus. Verùm horum opinio falsa est, nã verbum per modos & tempora inclinatur, & in ratione suppositi à fronte casum regit: quod à natura gerundiorum prorsus abhorret, quæ per casus & genera variantur, nec regere casum à fronte possunt. Priscianus asserit gerundium esse nomen, cùm per casus & genera varietur, vt amandi, do, dum. Sed eius opinio nihil habet cum veritate coniunctũ: nam gerundium suapte natura in significatione actiua casum regit sui verbi, nomen verò citra figuram regere accusatiuum nõ potest. Laurentius Valla asseuerat nomen esse participiale, quòd partem accipiat à nomine, partem à participio: à nomine, casus, genera cũ declinatione: à participio, significationem, & constructionem verbi à quo descendit. Hæc etiam sententia plurimum habet falsitatis. Nam participium significat tempus futurum sine vlla rei administratione, & à tergo in significatione passiua ablatiuum regit loco personæ agentis: vt causa est à me oranda, id est, orabitur. Gerundium verò rei administrationem importat sine vlla temporis significatione, & casum à tergo regere non

pote st

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

potest, cùm passionem significat, vt est mihi curarturis dicundi. Nos igitur cum Nebrissen si teneamus, gerundium esse aliam orationis partem distinctam ab illis octo, quæ adeò nomini similis est, vt si casum verbi non regeret, nihil quicquã præter nomen esset. His igitur omnibus leuiter prægustatis, explicemus sic in commune, quidnã sit gerundiũ, quo pacto construatur, quotuplex sit: vt facta partitione, omnia tum substantiua, tũ adiectiua gerundia disputatione percurramus.

Quid sit Gerundium.

Gerũdium est pars orationis declinabilis, per casus, sine tempore, gerens significationẽ & constructionem verbi à quo deriuatur, & rei administrationem significans. Discutiamus huius finitionis membra. Est pars orationis: vt secludatur à litera & syllaba, nam litera est pars syllabę, syllaba dictionis, gerundium verò orationis. Declinabilis: vt seiũgatur à quatuor partibus indeclinabilibus, præpositione, aduerbio, interiectione, cõiunctione. Per casus: vt separetur à verbo, quod per modos & tempora, non per casus inclinatur. Sine tempore: vt à participio differat, quod præter suum principale significatum temporis differentiam aliquam importat. Gerens significationem & constructionem verbi, à quo deriuatur: vt discrepet à nomine &

prono-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

pronomine, quoniam nomen & pronomen nec significationem nec constructionem verbi gerunt, gerundium verò & significationē & constructionem verbi repræsentat (in significatione saltem actiua: nam in passiua absolutè in oratione ponitur, nec cum vllo casu construitur.) Et rei administrationē significans: vt disterà participio, quod ad tempus futurum refertur: gerundium contrà, modò sit adiectiuum, rei administrationē, hoc est, habitum, & rei alicuius faciundæ assiduū vsum & consuetudinem significat.

Quo pacto construatur.

Hoc documētum habeant omnes pro cōperto, neque in eo cuiquam detur dubitandi locus, gerundia ante se casum nō regere, cùm solius verbi sit à fronte in ratione suppositi casum postulare, modò loco personæ agentis, modò patientis. Vnde teste Valla lib. 1. Elegant. cap. 27. sacræ illæ locutiones inauditæ sunt, In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, In deficiendo ex me spiritum meū, In conueniendo populos in vnum. Græca enim figura interpretem decepit, nam infinitiuum his locis habent Græci, quo pro gerūdiis vtuntur, quibus carent. Casum ergo infinitiui gerundiis accommodauit interpres, ac propterea in locis illis prolapsus est. Debuisset enim aut per ablatiuum absolutum è Græco idio-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

co idiomate in Latinum transferre, Conuertente Domino, deficiente ex me spiritu meo, conuenientibus populis in vnum: aut per subiunctiuum, hoc modo, cùm conuerteret Dominus, cùm deficeret spiritus, cùm cõuenirent populi. Post se verò regunt casum verborum à quibus descendunt, vt tempus est amandi Deum, inseruiendi amicis, miserendi pauperum. Quod intellige, dummodò gerundia actionem significent, nam si passiuè capiantur, nullum casum regunt. Nec enim Latinè dicitur, veni Complutum ad docendum ab eloquentiæ magistris, sed vt docear. Nec, veni ad vapulandum à præceptore, sed vt vapulem. Excipe etiam gerundium datiui, quod tametsi actiuè capiatur, cum accusatiuo construi nõ solet, vt in huius casus cõstructione latiùs patebit. Excipe postremò verborum reciprocorum gerundia, quæ cum suorum verborum casibus construi non solent. Barbara est enim huiusmodi locutio, Veni Complutum gratia euadendi doctus. Barbara etiam illa, Commoda occasio sese obtulit ambulandi lætus, sed vt ambulem lætus.

Quotuplex sit.

Gerundia duplicia sunt, aut substantiua, aut adiectiua: de adiectiuis postremo loco erit disputatio, de substantiuis modò disseramus. Quæ non ideo substantiua dicta sunt, q

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ſubſtantiam ſignificent, ſed quòd cum ſubſtantiuis non concordẽt in genere, numero, caſu, neque eorum velint habere conſortiũ. Reperiuntur autẽ in quinq; caſibus. Nominatiuo, vt ſeruiendũ eſt: genitiuo, vt cura ſeruiendi Deo tenet me: datiuo, vt non ſum ſoluendo: accuſatiuo, vt ad ſeruiendum paratus: ablatiuo, vt delector ſeruiendo. Antonius tamen Nebriſſenſis in tribus tantùm caſibus reperiri affirmat, genitiuo, accuſatiuo, ablatiuo: nam gerundium nominatiui prorſus negat, datiui difficulter ſatis admittit.

De gerundio ſubſtantiuo nominatiui.

Gerundium nominatiui conficitur ex voce quadã neutra terminata in, dum: quæ vox à gerundio adiectiuo finito in, dus, originem trahit, quod tametſi in vſu non ſit, fingendũ tamen eſt, non tantùm in hoc nominatiui caſu, ſed in reliquis caſibus gerundiorũ. A fronte non regit caſum, ſed determinatur à verbo ſubſtantiuo per omnes modos & tempora, ſiue expreſſo, ſiue ſubintellecto. A tergo pro perſona agenti datiuum regit, poſt quẽ deſiderat caſum ſui verbi, præter accuſatiuũ, quem ſi aliquando regit, illud eſt perquàm raro: vt carendum eſt mihi voluptatum, ſeruiẽdum eſt mihi Deo, vtendum eſt mihi virtute. At non dices, legendum eſt mihi Cicero-

nem,

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

nem, tametsi aliquando similis accusatiui cõstructio reperitur. Cicero de Senectute, Tãquam viam longam nobis quoque ingrediundum sit. Idem ad Atticum lib. 14. Iterandum eadem ista mihi. Itẽ Columella lib. 2. Resecandum est, & vlcera medicamentis curandum. Item etiam Varro lib. 1. Rerum rusticarum, Præfectos alacriores faciendum est præmiis. Idem lib. 2. de Analogia, Sic enim omnes repudiandum artes, quòd in eis discrepant scriptores. Descendit ab omnibus verborum generibus: & à verbis significantibus actionem, significat actionem, vt amandũ est, seruiendum est, consolandum est, criminandũ est: à verbis tam en neutris tertiæ & quartę classis, à quibus rarò descendit, passionem significabit, vt vapulandum est. Notabis etiã importare semper necessitatem quandam, atque ita resolui per opus, vel oportet, vel debeo: vt moriendum est semel, id est, opus est vel oportet semel mori. Viuendum est tibi tuis moribus, non alienis, id est debes viuere tuis moribus.

Circa hoc tamen nominatiui gerundium mirè se torquent omnes Grãmatici. Alii censent in hac constructione & similibus, inseruiendum est mihi tempori, inseruiendũ, esse participiũ futuri in, Dus. Sed falluntur, tum quia participium significat passionẽ, quã ge-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

rundium non significat, sed actionem potiùs: tum etiam quia participium non construitur cum accusatiuo, cum quo gerundium nominatiui construi non multò antè probauimus. Alii arbitrantur nomẽ esse verbale: qui in eodem sunt errore, nam verbale nomen passionem significat, & non construitur cum accusatiuo. Eisdem rationibus probari poterit, neque esse futurum infinitiui, neque verbũ impersonale passiuæ vocis. Reliquum igitur sit, gerundium esse nominatiui.

De gerundio genitiui.

Gerundium genitiui finitur semper in di, & fit ex neutra terminatione participii futuri in, dus. A fronte non regit casum, sed vult determinari à nominibus substantiuis appellatiuis, nõ ab omnibus, sed ab iis potissimùm quæ rem significãt incorpoream: qualia sunt nomina significantia tempus, vel temporis occasionem, vt tempus, hora, annus, dies, mẽsis, occasio, commoditas, opportunitas. Item nomina significantia voluntatem, aut rei alicuius desiderium, vt voluntas, amor, cupiditas, studium, labor, diligentia. Item significãtia causam, vel artem aliquam, vt causa, gratia, ratio, ars, disciplina. Determinatur secundò à quibusdam nominibus adiectiuis verbalem significationem habentibus, vt cupidus, timidus, auidus discendi: quibus adde cer-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

certus & incertus, vt certus eundi, incertus nauigandi. Determinatur tertiò à participiis transeuntibus in nomina, vt timens, cupiens, doctus, consuetus nauigandi. Notabis tamen, solêre sæpissimè nomina substantiua, tam genitiui gerundium, quàm infinitiuum determinare, præsertim quando iũgũtur verbo substãtiuo: qd̃ vtrùm ad Græcorum morem referendum sit, ipse videris, satis tamen sit illud obseruasse. Cicero libro secundo de Oratore, Si omnem vim Oratoris in argumentis posuissem, tempus esset iã de ordine argumentorum dicere. Cæsar lib. 5. belli Gall. Respondit, non esse consuetudinem populi Romani accipere ab hoste armato conditionem. Liuius lib. 1. Tempus est maiora conari. Gellius lib. 1. Et quæ ipsi opinarentur, expromere potestas erat. A tergo si actionem significet, regit casum sui verbi, vt tempus est Deum colendi: si passionem, nullum regit casum, vt tempus est vapulandi, neque addes à præceptore. Si quæras, quid significet? A verbis actiuis, neutris, primæ, secundæ, & quintæ classis, deponentibus, & communibus in actiua significatione significabit actionẽ: à verbis tamen neutris tertiæ & quartæ classis & communibus passiuæ significationis, passionem significabit. Est tamen cùm à verbis actiuis non actionem, sed passionem

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ſignificet. Cicero in Topicis, Cauſarum genera duo, vnum quod vi ſua efficit, vt ignis: alterum quod naturā efficiendi habet, vt æs, id eſt, vt efficiatur. Idem lib. 2. de Officiis, Atque hæ quidem ſunt cauſæ diligendi grauiſſimæ, id eſt, quibus diligamur. Suëtonius in Claudio, Cui lectica per vrbem vehendi ius tribuit, id eſt, vt veheretur.

Illud poſtremò notabis, ſolêre gerundium hoc genitiui ſubſtantiuum, regere genitiuum pluralem, idque non tantùm apud Comicos, ſed apud Oratores & Hiſtoricos etiā. Cicero in Philippicis, Agitur, vtrùm Marco Antonio facultas detur agrorum ſuis latronibus condonandi. Suëtonius in Auguſto, Epulum præbuit, permiſſa iocandi licentia, diripiendique pomorum. Marcus Varro lib. 2. Rerum ruſticarum, Aliquod fuit principium generandi animalium. Plautus in captiuis duobus, Nominandi tibi iſtorum, magis erit, quàm edundi copia. Nec dixeris, gerundium genitiui in exemplis propoſitis poni pro gerundio adiectiuo: nam in hoc exemplo Terentiano pro eo poni non poteſt, Date copiam creſcendi nouarum: non enim poſſes exponere creſcendarum nouarum, cùm verbum creſco ſimile gerundium formare non poſsit. Nec item dixeris, fieri figurā Antiptôſin, & caſum pro caſu poni, quoniam

in eo-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

in eodem Terentii exẽplo, non posses in hũc modum exponere, Crescendi nouarum, id est, crescendi nouas: cùm cresco verbum sit neutrum absolutum, neque accusatiuum regere possit. Reliquum est igitur, vt genitiuus ille pluralis à gerundio substantiuo regatur, cum multa Latini sermonis elegantia & nitore.

De Gerundio datiui.

Gerundium datiui finitur in, do, & fit ex neutra terminatione participii futuri in, dus. A fronte non regit casum, sed determinatur à nominibus adiectiuis, verbis, participiis, quæ sua natura datiuum regunt. De nominibus, vt aptus, idoneus, opportunus seruiendo. De verbis, vt do operam, vaco, incumbo scribendo. Determinari etiam solet à verbo substantiuo, vt non sum soluendo. De participiis, vt promptus, paratus, consuetus scribendo. A tergo verò construitur cum casu verbi à quo descendit, si actionem significet, præter accusatiuum (vt author est Laurentius lib. 1. Elegantiarum cap. 27. de gerundiis) Absurdum nanque ex eius sententia esset dicere, do operam colendo agrum, & legendo librum, sed per gerundium datiui adiectiuum, do operam colendo agro, vineæ pastinãdę, nemori succidẽdo. Verùm, vt ego qd̃ sentio in hac parte dicam, quando gerũdium

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

datiui à verbo, ſum, determinatur, ferè abſolutè ponitur in oratione, vt non ſum ſoluendo: quòd ſi caſum regat, nullum præter datiuum, vt non ſum tibi ſoluendo. Quintilianus in Gladiatore, Placeamus licet nobis fortuna noſtra, pater, pauperi ſoluẽdo non ſumus. Cęterùm ſi determinetur ab aliis verbis, aut nominibus, aut participiis, quæ ſua natura datiuum regunt, non dubito cum accuſatiuo poſſe conſtrui. Quã pręceptionem placuit multis authorum exemplis roborare, ne quiſquã audeat eam falſitatis árguere. Valerius Maximus lib. 3. Publius Scipio cùm in Sicilia augẽdo exercitum, traiiciendoque in Africam opportunum quæreret gradũ. Cicero in Hortenſio, Magna animi contentio adhibenda eſt explicando Ariſtotelem, ſi leges. Salluſtius in procemio Catilinariæ coniurationis, Neque verò agrum colendo, aut venãdo, ſeruilibus officiis intentum ætatẽ agere. Plautus in Epidico, Ego relictis rebus, Epidicum quęrendo operam dabo. Idem in Pœnulo, Ancillæ nos lauando operam dederunt. Quibus exemplis docemur, datiui gerundium cum accuſatiuo conſtrui poſſe, quando à verbis, aut nominibus, aut participiis datiuum regentibus, determinatur. Dices, orationem fluere numeroſiorem, ac modulatiorẽ multò, ſi gerundiis adiectiuis potiùs, quàm ſub-

ſtanti-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ſtantiuis vtamur. Non nego, ſed nobis de Grá matica præcipientibus non tam elegantia, verborumque ornatus quærendus eſt, quàm orationis proprietas, & apta partium congruentia, ac poſtremò quid apud proceres illos Latinitatis fuerit in vſu. Si quæras, quid ſignificet? A verbis omnibus actionem ſignificantibus, actionem ſignificabit: exceptis neutris tertiæ & quartæ claſsis, à quibus paſsionẽ ſignificat.

De gerundio accuſatiui.

Gerũdiũ accuſatiui finitur in, dum, & fit ex neutra terminatione participii in, dus. Ante ſe nullum regit caſum, quod eſt gerundiis omnibus commune, ſed determinatur à tribus partibus orationis, nomine adiectiuo, participio, & verbo. De adiectiuo, vt idoneus, facilis, difficilis, bonus, malus, commodus, incõmodus, aptus, ineptus. De participio, vt paratus, ſuccũctus, intentus, conueniens, ſufficiens. De verbo tum motum tum quietem ſignificanti, vt eo ad legendum, ſedeo ad ſcribẽdum. Huiuſmodi autem determinatio, quæ fit à parte anteriori, fieri ſolet frequentiùs mediis illis præpoſitionibus, Ad, Ob, Propter, Inter, Ante: vt ad, vel ob, vel propter numerandum pecunias veni. Inter cœnandum, ante domandum. Quibus tu addere poteris duas alias, In, & Circa. Titus Liuius, In foſſas & cloacas exhauriendas demersêre. Fabius lib. 4. Non enim ſolùm

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Oratoris eſt docere, ſed plùs eloquentia circa mouendum valet. Notabis tamẽ cum his verbis, loco, conduco, mando, curo, habeo, ſuſcipio, depoſco, puto, duco, exiſtimo, cenſeo, dico, video, intelligo, arbitror, do, trado, propono, & ſimilibus, gerundia adiectiua non determinari ab his præpoſitionibus. Vt locaui faciendam ſepulturam, patris gloriam tuendam conſeruandamque ſuſcepit, curauit hominem interficiendum, homines vi rapiendos conſeruandosque mandauit. A tergo verò ſi actionem ſignificet, exigit caſum verbi à quo deſcendit: ſi paſsionem, nullum, vt carmen difficile ad intelligendum, non dices ab ſcholaſticis. Notabis, quando determinatur ab Inter, & Ante, non ſolêre caſum regere, vt inter cœnandum, ante cœnandum. Aliquando tamen regit, licet rarò. Liuius lib. 2. Titus Herminius inter ſpoliandum corpus hoſtis percuſſus. A verbis actiuis actionem ſignificat frequentiùs, aliquando paſsionem. Salluſtius in Iugurtha, Pauca vt ſuprà repetam, quò ad cognoſcendum omnia illuſtria magis, magisque in aperto ſint. A verbis neutris tertiæ & quartæ claſsis, paſsionẽ, à reliquis actionem: à deponentibus actionem, à communibus actionem & paſsionem. Hoc eodem pacto ferè debes percurrere omnes caſus gerundiorum, quantùm attinet ad ſignificationem,

quod

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

quod nos breuitati consulentes aliquãdo dissimulamus.

De gerundio ablatiui.

Gerundium ablatiui finitur in, do, & fit ex neutra terminatione eiusdẽ participii in, dus. A fronte nullum casum regit, sed determinatur à verbis, aut participiis, aut nominibus, mediis his præpositionibus, A, Ab, In, De, E, Ex. Quibus adde, Pro, & Cum. De sex primis præpositionibus adeò obuia sunt exempla, vt in his citandis nimiùm morari hominis sit nimiùm otiósi, & in re parua diligentiã affectantis. De duab⁹ postremis, quia raræ sunt, authoritates in medium proferamus. Plautus in Aulularia, Pro vapulando herclè ego mercedem peram. Quintilianus lib. 1. Ratio rectè scribendi iuncta cum loquendo est.

Duo tamen hîc notabis, in primis gerundium hoc ablatiui nõ posse determinari à verbo significanti motum explicitũ. Nõ enim dices, venio ab orãdo, sed ab oratione potiùs: nõ redeo à spectãdo, sed ab spectatione: nõ reuertor ab arando, sed ab aratione. Si tamen verbũ illud non motum explicitum, sed motionem quandam animi internam significet, non dubito ab eo determinari posse. Quam præceptionẽ quàm plurimis authoritatibus firmare placuit, ne Grãmaticus aliquis rettici nimiùm sit percilii eam studeat labefactare. Cicero libr. 2.

de

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

de Oratore, Ipse à discēdo refugisti. Idem lib. 3. Pythagoras, Democritus, Anaxagoras à regendis ciuitatibus totos se ad cognitionem rerum transtulerunt. Idem in Bruto, Stoici traducti à disputando ad dicendum inopes reperiuntur. Idem in Verrem, Non videor omnino à defendendis hominibus subleuandisque discedere. Vbi quis negabit, in verbis refugio, transfero, traduco, discedo, speciem quandam motus interni repręsentari, atque ab illis gerūdium ablatiui casus determinari?

Notabis deinde, in huiusmodi determinatione aliquando non posse præpositionem intercedere. Tum primò, quando determinatur à verbis sua natura regentibus ablatiuum sine præpositione, vt delector legendo, non in legendo. Tum secundò, quando gerundiū denotat instrumentum aliquod, vt hos accusando, illos occidendo totam ciuitatem labefacta sti. Tum tertiò, quando gerundium significat passionem. Verg. Georgic. 3. Vritque videndo fœmina, id est, dum aut cùm videtur. Quintilianus lib. 11. cap. 2. Sed memoria excolendo, sicut alia omnia, augetur: id est, dum excolitur.

A tergo verò si passiuè capiatur, nullum regit casum: si verò capiatur actiuè, regit casum sui verbi. Quod intellectum volo, quando prępositionibus illis, In, De, E, Ex, A, Ab, Cū, Pro,

non

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

non adhæret: nam si ab illis determinetur, ex frequentiori authorum vsu absolutè ponitur in oratione, aut loquemur per gerundium ad iectiuum. Non enim qui optimè ac Latinè locuti sunt, huiusmodi loquendi formis vtũtur, Vaco ab scribendo epistolas, in iuuando homines multum operæ posui. Sed aut absolutè, aut per adiectiuum sic, Vaco ab scribendo, aut vaco ab scribendis epistolis, item in iuuandis hominibus multum operæ posui. Obseruaui tamen tria aut quatuor exempla, in quibus gerundium cum præpositione casum regit, quæ legem Latinitatis facere non debent. Cicero lib. 6. ad Atticum, In quibus interscripseras de relinquendo ea, quæ me impugnabant. Idem lib. 3. Tuscula. Inuidiæ verbum ductũ est à nimis intuendo fortunam alterius. Varro lib. 3. rerum rusticarum, In supponendo oua, obseruant, vt sint numero imparia. Liuius libr. 30. Eadem hęc Syphaci animum dederũt in alloquendo victorem. Quæres, de significatione. A verbis actiuis significat actionem, aliquando passionem. Vergi. Georgic. 3. Alitur vitiũ, viuitque tegendo, id est, dum tegitur. A neutris tertiæ & quartæ passionẽ, à reliquis actionem. A deponentibus & communibus actionem & passionem. Vergi. Æneid. 12. Ægrescitque medendo, id est, dum illi medicamenta adhibentur.

De

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

De gerundijs adiectiuis.

Gerundia adiectiua non ideò adiectiua dicta sunt, quòd qualitatem aliquam alicui adiacentem significent, sed quia cum substantiuis in genere, numero, & casu concordant. Quæ gerundiua à Grammaticis appellantur, vt distinguantur à substantiuis, quæ gerundiorum nomen acceperunt. Finiũtur in, dus, da, dum. Reperiuntutque in omnibus casibus, numeris, & generibus. Nominatiuo, vt voluenda dies: genitiuo, vt iuris dicundi cura tenet me: datiuo, do operam iuri dicundo: accusatiuo, veni ad ius dicundum: vocatiuo, ô dies voluenda: ablatiuo, delector iure dicundo. Gerundium hoc semper significat passionem: vnde fit, vt à verbis passiuis solùm, & communibus passiuæ significationis oriatur, & aliquando etiam à deponentibus tertiæ classis. Quintus Curtius, Misit caduceatorem ad cõsolandas eas. Inde etiam fit, vt cum nullo casu construatur, sed solùm cum substantiuis concordet: quia, vt à me sæpissimè proclamatum est, gerundia in significatione passiua nullum regunt casum.

De differentia inter gerundium adiectiuum, & participium futuri in, dus.

Licèt gerundia hæc adiectiua cõueniant in voce cũ participiis in, dus, differunt tamen ab illis tripliciter. In primis significatione: nam gerun-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

gerundia significant rei administrationem sine nota futuri temporis, vt cura legẽdæ lectionis tenet me: participia verò tempus futurum important sine aliqua administratione, vt lectio est legenda. Differunt deinde cõstructione, nam gerũdia cum nullo casu cõstruuntur, sed cum suis substãtiuis tãtùm concordant: at verò participia cum ablatiuo cõstruũtur loco personæ agentis, vt lectio est à me legẽda. Differunt postremò resolutione, nã gerundia nominatiui per quis & verbũ resoluũtur, vel per nomen verbale in bilis, vt voluẽda dies, id est, quæ voluitur, vel volubilis. Reliqui casus gerundiorum resoluuntur in sua substantiua: vt mox pręcipiemus. At verò participia resoluũtur per futurum imperfectum vocis passiuę, vt causa est à me oranda, id est, orabitur.

De conuersione gerundij substantiui in adiectiuum, & è conuerso.

Illud in primis pro certo habeas, nullam orationem conuerti posse ex gerundio substantiuo in adiectiuum, nisi adsit accusatiuus: qui si adsit, fiet conuersio in hunc modum. Accusatiuus conuertetur in casum gerundii substãtiui, deinde gerundium substantiuum conuertetur in adiectiuum in eodem casu. Confirmemus id exẽplis per omnes casus. De genitiuo, cura legendi lectionem tenet me, cura lectionis legendæ tenet me. De datiuo, do operam legen-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

legendo lectionem, do operam lectioni legendæ. De accusatiuo veni ad legendum lectionem, veni ad lectionem legendam. De ablatiuo, delector legendo lectionē, delector lectione legenda. De nominatiuo mentionem non feci, quia oratio quæ per nominatiuū fit, conuerti non solet. Ex adiectiuo in substantiuum fit conuersio in hunc modum, Genitiuus siue quicunque alius casus in accusatiuum conuertitur, adiectiuum in substantiuum in casu gerundii. Si verò sit nomen verbale, resoluitur per hoc nomen dignus & infinitiuum vocis passiuæ: vt magister colendus, id est, coli dignus: puer amandus, id est, amari dignus. Ne aliquid prætermittamus, quod ad rectam puerorum institutionem in re Grammatica videatur necessariū, notet puer, quatuor modis orationem ex gerundio substantiuo in adiectiuū conuerti non posse. Primò, quando accusatiuus non adest, vt cura seruiēdi Deo tenet me. Secundò, quando significat passionem, vt cantando rumpitur anguis. Tertiò, quandò accusatiuus est nominis relatiui, vt hic dies attulit initium dicendi, quæ vellem: non dices, dicendorum eorum, quæ vellem. Quartò, quando accusatiuus est nominum primæ aut secundę declinationis: tunc enim ineleganter conuertetur oratio in adiectiuum, vt tēpus est quærendi bonos libros, non quærendorum bono

rum

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

rum librorum. Item tempus eſt inueſtigandi bonas muſas, non inueſtigandarum bonarum muſarum.

De Supinis.

Poſt gerundia occurrit ſtatim de ſupinis diſputatio: quæ cur ſic appellata ſint, nondũ perſpicuũ eſt, neq; nimis neceſſariũ puto, cũ multi Grammaticorũ miſerè in hac re inſudarint ad ineptias vſq; & vaniſsimas nugas. Alii dicta volũt quaſi ſuprema, quòd in cõiugatione poſtrema ſint: nam participia, quæ mox ſequuntur, nõ inter nomina, ſed inter verba recẽſendaſunt. Alii ſupina quaſi ſuperãtia dicta volũt, quòd naturam verbi ſuperent, cùm verbũ per modos & tẽpora inflectatur, ſupinũ ſine modis & temporibus. Alii ſupina quaſi reſupina dicta exiſtimãt, id eſt, cõtraria: quia prius ſupinum prorſus euertit naturã poſterioris, tũ determinatione, tum ſignificatione, tũ poſtremò cõſtructione. Tu elige quã malueris, nam mihi omnes prædictæ Etymologiæ prorſus diſplicẽt. Vtrùm autem inter octo partes orationis numerari debeãt, an diuerſam ab aliis octo partem cõſtituere, cõtrouerſum fuit à veteribus Grammaticis. Nos tamẽ cum Nebriſſenſi diuerſam eſſe partẽ affirmamus à reliquis, quę tamen inter verba numereretur, quia maximam cum eis habet ſimilitudinem. Poteſt autem in hunc modum definiri.

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Quid sit supinum.

Supinũ est pars orationis indeclinabilis in, um, aut in,u,desinẽs:gerẽsque significationẽ, & nonnunquam cõstructionem verbi à quo descendit. Indeclinabilis: vt differat à quatuor declinabilibus. In,um,aut in,u,desinens: vt differat à reliquis indeclinabilibus, & à gerundiis etiam, quæ diuersam ab hac desinentiam sortiuntur. Gerens significationem & nonnunquam cõstructionẽ: nam cùm significat actionem, gerit constructionẽ verbi, à quo descendit: cũ passiuè capitur, cum nullo casu cõstruitur. Non enim dixeris Latinè, venio vapulatũ à præceptore, sed vt vapulẽ, aut vapulaturus à præceptore. Ex definitione colligitur duplex supinum. Prius, quod terminatur in, tum, vt amatum: sum, vt visum: xum, vt amplexũ. Posteri⁹, quod finitur in, tu, vt amatu: su, vt visu: xu, vt amplexu.

De priori Supino.

Tria potissimùm de priori supino explicabimus, vnde determinetur, quid à tergo regat, quid significet. Prius supinum à fronte nõ regit casum, sed vult determinari à verbis significantibus motum, siue explicitum siue implicitum. De explicito, vt eo venatum: de implicito, vt do filiam nuptũ. Determinatur etiã à participiis ab his verbis descendentibus. Horatius in Arte Poëtica, Spectatum admissi risum

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ſum teneatis amici? Motus explicitus eſt, qui fit motione corporis de loco in locum: implicitus verò, qui mutatione propoſiti, & voluntatis conuerſione ad rem aliquam fieri ſolet. Ex hac determinatione colliges differentiam inter prius ſupinum & gerundiũ accuſatiui caſus, nam prius ſupinum ſemper determinatur à verbo ſignificanti motum: at verò accuſatiui gerũdium determinatur à verbis motus, vt eo ad legendum: aut quietis, vt ſedeo ad audiẽdum. Vnde fit, vt omnis oratio per prius ſupinum conſtituta, conuerti poſsit in gerundiũ accuſatiui, nõ contrà. Inde etiam fit, vt prioris ſupini oratio per varias partes orationis, aut dicendi formas variari poſsit: quod in ſequenti oratione patebit, Eo peritum veniam, eo ad petendũ veniam, eo ad petendam veniã, eo petiturus veniã, eo vt petã veniam, eo petere veniam Grẹcorũ more, eo gratia petendi veniã, eo gratia petendæ veniæ.

A tergo ſi actionem ſignificet, regit ſui verbi caſum, vt eo Deo ſeruitũ: ſi paſsionem, nullum recipit caſum, vt eo vapulatũ. A verbis omnibus ſignificat actionem: à neutris tertiæ & quartæ, paſsionem.

De poſteriori ſupino.

Eo ordine procedemus in poſteriori ſupino, quo in priori. A fronte nõ regit caſum, ſed determinatur à nominib⁹ adiectiuis, cũ quib⁹

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

in re nulla conuenit, vt res horrenda dictu, res miserabilis visu. Item determinatur ab adiectiuis, quæ fiunt substãtiua in neutra terminatione, vt horrendum dictu, miserabile visu. Item à tribus nominib⁹, fas, nefas, opus: vt fas dictu, nefas dictu, opus siue peropus dictu. A verbis autem motum significantibus determinari nõ vult: neq; enim Latinè dixeris, venio lectu, sed de lectione: venio venatu, sed de venatione. A tergo nullũ casum regit, sed semper ponitur absolutè: neque enim dixeris, puer dignus flagellatu à præceptore, sed aut per subiũctiuum, vt flagelletur à preceptore, aut per infinitiuum vocis passiuæ, flagellari. Cuius ratio est, quia perpetuò significat passionẽ, in qua significatione supina nõ habent de more casum regere. Vnde fit, vt à verbis tantùm passiuis, & communibus oriãtur: & aliquãdo à verbis etiam deponentibus tertię classis, quę olim cõmunia fuerunt.

De Resolutione.

Resoluitur autem posterius supinum tripliciter. Aut per indicatiuum cum his particulis, dum, cùm, quãdo: vt monstrum horrendũ visu, id est, dũ videtur, cùm, vel quãdo videtur. Aut per subiunctiuũ cum, vt: vt vir dignus celebratu, hoc est, vt celebretur. Aut per infinitiuum vocis passiuæ: in eodem exemplo, dignus celebratu, id est, celebrari.

De

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Differentia posterioris supini, à nomine Verbali quartæ declinationis.

Posterius supinum, & ablatiuus verbalis quartę declinationis in voce conueniunt: differunt tamen multis ac variis modis. Sit prima differentia: Gubernatu quando est nomen variatur per casus, quando supinum minimè. Sit. 2. Quando est nomen significat actionem: quando supinum, passionem. Sit. 3. Quando nomen, regit genitiuum, vt dignus gubernatu Reipublicæ: quando supinum nullum casum regit. Sit. 4. Quando nomen recipit consortium adiectiui, vt dignus magno gubernatu: quando supinum non adhæret adiectiuis. Sit. 5. Quando nomen recipit præpositionem, vt recessit ex gubernatu: quando supinum similem præpositionem admittere nõ potest. Sit sexta: Quando nomen exponitur per aliud nomen, vt dignus gubernatu, id est, gubernatione: quando supinum per verbum, vt gubernetur. Sit septima: Quando nomen regitur à verbo, vt orbatus est gubernatu Rei publicæ: quando supinum à simili verbo regi non potest.

De Participijs.

Post supina sequitur participiorum tractatio: quę idcò participia dicta sunt, q̃ partẽ à nomine accipiãt, partẽ à verbo, vt mox patebit in definitione. Solẽt autẽ dupliciter considerari,

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

aut quatenus nomina adiectiua sunt, aut quatenus participia. Quatenus adiectiua, cum substantiuis more adiectiuorum conueniunt in genere, numero, casu, & de his non est sermo in præsentia. Quatenus autem à verbo deriuãtur, eiusdemq; significationem & cõstructionem habent, quod est participiis propriũ, futura est disputatio. Exponemus igitur quidnam sit participiũ, quotuplex sit, quot modis in naturam nominum transeat, ac postremò quot de causis adinuentum fuerit.

Quid sit Participium.

Participium est pars orationis, declinabilis, per casus, cum tempore, quæ pro verbo accipitur, à quo deriuatur, genus & casus habens ad similitudinẽ nominis, & accidentia verbi sine discretione modorũ & personarum. Hæc definitio multis cõstat partibus, quæ nostra interpretatione videntur plurimùm indigere. Est pars orationis: vt differat à litera & syllaba, nã litera est pars syllabæ, syllaba dictionis, participium verò orationis. Declinabilis: vt distet à quatuor partibus orationis indeclinabilibus. Per casus: vt à verbo discrepet, quod nõ per casus, sed per modos, & tempora inclinatur. Cũ tempore: vt differat à gerundio, nomine item & pronomine, quæ nullam differentiam temporis important, cùm participium ad tres tẽporum differentias referatur, præsentis, vt amans,

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

mans, præteriti, vt amatus, futuri, vt amatu=
rus, amandus. Sub quibus ad alia etiam tem-
pora referuntur, nam præsens fungitur præ-
sentis & præteriti imperfecti munere, præte-
ritum perfectum suppler etiam vices plusquã
perfecti. Erunt igitur voce tria tempora, signi
ficatione quinque. Quæ pro verbo accipitur,
à quo deriuatur: nam participium & verbũ
substantiuũ poni solent pro verbo, à quo par-
ticipium originem trahit, vt sum amans, pro
amo, sum legens, pro lego. Et aliquando etiam
participium sine verbi substantiui consortio,
vt his peroratis finem feci dicendi, id est, post-
quàm hæc perorata sunt. Notabis etiam dictũ
fuisse, quæ pro verbo accipitur, à quo deriua-
tur: quia participium, si participii naturam re-
tinere debeat, semper à verbo debet deriuari.
Vnde reperies multa nomina adiectiua, quæ
formam quidem habent participiorum, cæte-
rùm quia à verbo non deriuantur, non inter
participia, sed inter nomina numeranda sunt:
qualia sunt, galeatus, petasatus, cerîtus, tunica
tus, togatus, palliatus, vmbellatus, sericatus,
ocreatus, prægnans, lætus, cretus, præditus, &
similia. Genus & casus habens ad similitudinẽ
nominis: quia participium, quemadmodum
& nomen, quatuor habet genera, masculinũ,
vt amatus, fœmininũ, vt amata, neutrum, vt a-
matũ, commune trium, vt amans: itẽ etiã suos

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ſeptem caſus habet more nominum. Et accidentia verbi ſine diſcretione modorũ, & perſonarum: quia participium, quemadmodum & verbum, tria habet tempora, præſens, præteritum, futurum: duas item ſignificationes, actiuam & paſsiuam, ſuam item conſtructionem: ſed modis explicitis, & certis perſonis non conſtat. Modò apertè intelliges, dictum fuiſſe participium, quòd nominis & verbi naturam participet, nam à nomine genera quatuor, caſus ſeptem, cũ tribus declinationibus mutuò accipit: à verbo tempora tria, ſignificationes duas cũ cõſtructione ſortitur: ab vtroque figuram, & numerum. Nam quemadmodum in nomine figura duplex eſt, ſimplex & compoſita, numerus duplex, ſingularis & pluralis: idem contingit in verbo, idem etiam in participio.

Quotuplex ſit.

Duplicia ſunt participia, quædam actiuæ vocis, quædam paſsiuæ. Actiuæ duo, pręſentis & futuri in, rus, vt amans amaturus. Paſsiuæ duo, præteriti & futuri in, dus, vt amatus, amãdus. De quibus priuſquàm ſuo ordine dicamus, non erit à re præſenti alienum explicare quo pacto à ſingulis verborũ generib⁹ oriãtur participia. A verbo actiuo duo participia trahũtur, pręſentis & futuri in, rus, vt amãs, amatur⁹. A paſsiuo duo, pręteriti & futuri in, dus,

vt

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

vt amatus, amandus. A neutro duo, præsentis & futuri in rus, vt seruiens, seruiturus. A verbis tamen neutropassiuis nascitur & participium præteriti, vt à gaudeo, gaudens, gauisus, gauisurus: ab audeo audens, ausus, ausurus: à careo quatuor oriuntur, carens, casus, cariturus, carendus. A deponenti tria, præsentis, præteriti, futuri, in, rus, vt recordans, recordatus, recordaturus: si verò sit tertiæ classis, quatuor, sequens, secutus, secuturus, sequendus: consolans, consolatus, cõsolaturus, consolandus. A communi quatuor, secundũ formam quidem actiuam præsentis & futuri in, rus, vt criminans, criminaturus: secundũ passiuam autem formam præteriti & futuri in, dus, vt criminatus, criminandus. Ab impersonali verò participia, nisi vsurpata fuerint, non veniunt, vt à pœnitet, pœnitens, & pœnitendus. Hoc fundamento iacto, agamus de singulis.

De Participio præsentis.

Participium præsentis duas habet terminationes: ans, verborum primæ coniugationis, vt amans: ens, aliarum coniugationum, vt docens, legens, audiens. A verbis actiuis significat actionem, exceptis paucis, quæ Græcorũ more passiuè capiuntur: ea sunt, voluens, volutans, quassans, præcipitans, tondens, euidens, pro eo, quod voluitur, volutatur, quassatur,

ſatur, præcipitatur, tondetur, perſpicuũ atq; perſpectum eſt. A verbis neutris primæ, ſecũdæ, & quintæ claſsis ſignificat actionẽ, vt carens, ſeruiens, currẽs. A neutris tertiæ & quartæ, paſsionẽ, vt ardens, vapulans. A deponentibus & communibus actionem, vt conſolãs, criminãs: niſi ſit à deponentibus ſextæ, à quibus, quoniam ea verba paſsiua ſunt, paſsionẽ ſignificat, vt oriens, naſcens.

Ante ſe nullum regit caſum, ſed more adiectiuorũ cum ſubſtãtiuis cõcordat: à tergo regit caſum verbi, à quo deſcẽdit, vt colẽs Deũ. Solet autem exponi variis modis: aut per nomen relatiuũ & ſuũ verbũ, vt ego ſum colẽs Deum, id eſt, qui colo Deũ. Aut per gerundium ablatiui, vt benefaciens gaudeo, id eſt, benefaciendo. Aut per has particulas, cùm, dũ, ſi, quia: vt me pręſente nõ auſus es peccare, id eſt, cùm vel dum ego præſens eſſem. Itẽ viuente patre tantam peccatorum labem nõ contraxiſſes, id eſt, ſi pater viueret. Item ſole lucente dies eſt, id eſt, quia ſol lucet.

Duo tamẽ ſuperſunt obſeruatione digna. Alterũ, participiũ præſentis poni pro participio præteriti. Cicero in Bruto, Cùm à Sicilia diſcedens, Rhodum veniſſem: hîc diſcedens pro profectus ponitur, quod participiũ præteriti eſt. Hoc ſolùm licet cùm participiũ præteriti deeſt, ſecus autem non permittitur, vt

cùm

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

cùm è Sicilia proficiscens Rhodũ venissem: dicendum est, Cùm è Sicilia profectus Rhodum venissem. Alterum sit, participia videlicet præsentis temporis substantiua, si pro certo accipiantur substantiuo, illius esse generis, cuius & substantiuũ: si pro incerto, ad neutrum genus transire. Verbi gratia, cùm dicitur oriẽs & occidẽs, intelligitur sol: cùm fluẽs & cõfluens, fluuius: ideò masculina sunt. Sicut cùm dicitur cõsonans, intelligitur litera: idũ continens, terra: dum lactans, fœmella: ideò sunt fœminina. Animãs autẽ, si subaudiatur natura, fœmininũ est: sin absolutè ponatur, neutrum, vnde animantia. Sic antecedẽs & consequens, si ponantur absolutè, neutra sunt: si pro certa aliqua præpositione, fœmini na: & sic qui propositæ argumentationi respõder, dicere deberet, nego antecedentem aut consequentem, propositionem scilicet.

De participio præteriti.

Participium præteriti tres habet terminationes, in tus, vt amatus: in, sus, vt visus: in, xus, vt complexus. Quod cùm à supino formetur addita, S, fit, vt verbum carens supinis, careat etiam participio præteriti: & habẽs duplex supinum, habeat etiam duplex participiũ, vt tentũ vel tensum, tentus vel tensus. A verbis passiuis significat passionẽ, vt doctꝰ, amatus. Exceptis quibusdam, quæ actionem signi-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ſignificant,argutus,cautus,circunſpectus,cœnatus,potus,cõſideratus,falſus,profuſus, ſcitus,ſparſus,tacitus, & ſimilia. A neutris rarò deſcendunt,& actionem ſignificant, vt ſolitus,fluxus,placitus: aliquando paſsionem,vt gauiſus. A deponentibus actionem, vt recordatus,miſertus:exceptis verbis tertiæ claſsis, quæ paſsionem aliquando ſignificant. Nam cùm deponentia omnia fuerint olim cõmunia, aliqua participia præteriti remanſerunt paſsionem ſignificantia. Quale illud Terentii,Meditata mihi ſunt omnia mea incommoda.Illud etiam Ciceronis ad Atticum lib.1 Si verò quæ de me pacta ſunt ſeruantur.Illud item eiuſdem.15 Familiarium, Patrem mortuũ habebamus,alii à latronibus,alii cruditate dicebant.A communibus actionem & paſsionem,vt criminatus.

Ante ſe nullum caſum regit, ſed cum ſubſtantiuo cõcordat:poſt ſe verò caſum verbi, vt Deus eſt à me vel mihi dilectus. Exponitur per relatiuum & ſuum verbum, vt doctus te docebit,id eſt,qui doctus eſt. Aliquãdo per Poſtquàm: vt perlecta lectione id faciam libens,id eſt,poſtquàm perlegero lectionem.Notabis vltimò, in ablatiuo & accuſatiuo participium præteriti ſolere poni pro infinitiuo:vt oratos vos velim,id eſt orauiſſe: opus eſt cõſulto,id eſt,cõſulere,ſeu cõſuluiſſe.

De

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

De Participio futuri in, rus.

Participium futuri in, rus, formatur à posteriori supino addita, rus. Atque inde fit, vt verba quæ carent supino, careant etiam participio futuri in, rus: ea verò, quę duplex habēt supinum, duplex etiam futurum habent, vt tenturus vel tensurus. Sunt tamen multa verba, quę cùm habeant supinum, carent nihilominùs eo participio, vt à nosco notum, nō noturus: à pando pansum, non pansurus: à cano cantum, non canturus: à neco nectum, nō necturus, & sic de similibus. Ab omnibus verbis actionem significat: nisi sit à neutris tertiæ & quartæ classis, vt arsurus, vapulaturus.

Ante se nullum casum regit, post se verò regit casum verbi, à quo descendit, vt sum amaturus Deum. Exponi solet per relatiuum, & futurum sui verbi: vt ego lecturus libros voluo, id est, qui legam, vel legere saltem debeam.

De Participio futuri in, dus.

Participium in, dus, à quibuscunque verbis significat passionem, vt amandus, criminandus, consolandus. A fronte nullū casum regit, à tergo casum sui verbi, vt magister est à discipulis colendus. Elegantiùs tamen dati uum, quàm ablatiuum regit: vt præter cæteros magister mihi potissimùm colendus. Exponitur per futurum passiuum & relatiuū:

vt vi=

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

vt video puerum à me amandum, id est, qui à me amabitur.

Quot modis participium fiat nomen.

Quinque modis participia fieri solent nomina. Amissione temporis, vt amans pro amatore, beatus pro diuite, amandus pro digno amari. Amissione cõstructionis, cùm casum sui verbi relinquũt, atque alienum assumũt, quod in verbis actiuis frequentiùs fieri videmus: vt amans vxoris, nomen est: amans vxorem, participium: fugitans litium, nomen est: fugitans lites, participium est. Amissione significationis, cùm à sui verbi significatu degenerat: vt diligens, non pro eo qui diligit, sed pro eo qui solers est. Compositione, quoties componuntur cum præpositione, cum qua suum verbum componi non potest, vt innocens, non est innoceo: indoctus, non est est indoceo. Cõparatione, cùm ex se formant comparatiua aut superlatiua: vt amantior vxoris, notissimus omnibus. Quæres, quare participia fiãt nomina, cùm ex seipsis formãt comparatiua aut superlatiua? Respondeo, ideo esse, quia cùm participia à tergo regant casum verbi vnde descendunt, si post formata comparatiua aut superlatiua manerent participia, iam cõparatiua & superlatiua accusatiuum regerent, quod est contra comparatiui & superlatiui nominis naturam. Quæres vlteriùs

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

teriùs, Vtrùm omnia participia formare possint cōparatiua & superlatiua? Respondeo, à participiis præsentis & præteriti formari posse, à participiis verò vtriusq; futuri minimè: nō enim à colendus formabis colendissimus, neq; à reuerendus reuerēdissimus: sed admodū, aut perquàm colendus: admodū aut perquàm reuerēdus. Quæres adhuc vlteriùs, Vtrùm participia futuri in rus, & in dus, possint in nomina transire? Respondeo, vtrunq; participium posse nominis naturam induere: nam participiū in, rus, fit nomen, quando nō tempus, sed hominis qualitatē, atq; animi voluntatem & propensionem significat. Quintilianus. 11. lib. cap. 2. Neq; omnino huius rei meminit vsquā Poēta ipse, profectò non taciturus de tanta sua gloria: id est, talis ingenii & naturæ, vt non taceret. Item in hoc vulgato exemplo, Contulit mihi amicus quantum potuit beneficiorū, plus collaturus si potuisset: id est eo ingenio, & tanta ad benefaciēdū propensione, vt plus conferret, si posset. Participium item in, dus, nomen fit, quando exponitur per dignus: vt puer amandus, id est, dignus amari.

Quot de causis inuenta fuerint participia.

Laurentius Valla lib. 1. Elegan. cap. 32. tradit tribus de causis inuēta fuisse. Breuitatis & elegan-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

elegantiæ gratia: breuiùs enim & elegantiùs loquimur per participium, quàm per aliã orationis partem, vt magistrum legentem attentè audio, quàm magistrum qui legit. Postremò necessitatis gratia, vt in huiusmodi locutionibus, Circũdedimus castris fossam & vallum, ne hostes venire possint & nos opprimere: quasi fossa & vallũ ideo fiant, aut hoc præstare queant, ne hostes venire possint. Item mulieres ornant se, ne homines videant, & irrideant: quasi mulieres ideo seipsas ornarent, ne ab hominibus videantur. Loquendum itaque necessariò est, ex sententia Laurentii, per participium in hunc modum, Circundedimus castris fossam & vallum, ne venientes hostes, aut ne aggressi hostes, nos opprimant. Item mulieres ornant se, ne homines videntes irrideant, aut ne visæ ab hominibus irrideantur. In hoc tamen postremo, Laurentio non assentior: nam licèt venustiùs per participium loquamur, non tamen necessariò. Possent enim hę orationes fieri per circunloquium, Circundedimus castris fossam & vallum, ne hostes qui veniant, nos opprimant. Mulieres ornant se, ne homines, qui videant, irrideant.

De nominum constructione.

Postquàm Nebrissensis egit de verborum, gerundiorum, supinorum, participiorumq; constru=

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

constructione:incipit iam ab hoc loco differe re de nominum,aliarumque partium orationis Syntaxi.Nomina igitur duplicia sunt,aut substantiua,aut adiectiua: itē substantiua aut propria,aut appellatiua.Propria nullū post se casum regūt:quē si fortè regere videātur, nō à nomine proprio,sed ab appellatiuo subintellecto dependet, vt Aiax Oilei, subaudi filius: Deiphobe Glauci,subintellige filia. Appellatiua verò genitiuū frequētiùs solent exposcere:qui aut actiuus est,vt prouidētia Dei, qua prouidet:aut passiuus,vt timor Dei quo timetur:aut dubius,vt amor Dei quo homines amat,aut ab hominibus amatur : aut possessiuus,vt regnum Dei, quod possidet:aut materiæ,vt subucula lini,annulus auri : aut valoris,vt Vergilius decē argenteorum , qui decē argenteos nummos valet,aut alio quouis modo. Verùm de huiusmodi regimine non est sermo in præsentia,de quo suo loco satis fusè & copiosè disputatū est:sed de nominibus adiectiuis,quæ ex sermonis Latini proprietate genitiuū regunt,aut aliū quenuis casum. Adiectiuorum igitur duplex est partitio,alia simplicem casum regunt:alia duplicem.Quæ simplicem , alia genitiuum,alia datiuum, alia accusatiuum,alia postremò ablatiuum. De quibus vt suo ordine agamus,res ipsa suo iure videtur exigere.

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

LIBER QVARTVS

De adiectiuis regentibus genitiuum.

Adiectiua quæ solùm genitiuum regunt, quincuplicia sunt. Prima, Quæ sunt certæ cu iusdam significationis, sed illa præcipuè, quæ habitum, siue priuationem rei alicuius significant. Vt integer vitæ, sceleris purus, præceps animi, prodigus vitæ, dubius itineris, tenax propositi, cupidus honoris: quibus tu etiam adde certus, memor, compos, rudis, particeps, parcus, inops, conscius, ambitiosus, fertilis, & alia similia, quæ ex assidua lectione facilè constabunt. Secunda, Participia pręsentis & pręteriti temporis cùm fiunt nomina: vt patiẽs laboris, negligens amicorum, doctus Grammaticæ, expertus belli. Quæ verò sunt futuri in, rus, aut, dus, etsi transeant in nomina, genitiuum non regunt: sed quæ in, rus, accusatiuũ, vt hæc mihi tãtùm tabellarius narrauit, non prætermissurus cætera, si quid haberent certi: quę in, dus, datiuum, vt puer mihi amandus, id est, dignus à me amari. Tertia, Superlatiua: vt Achilles Græcorum fortissimus, de quorũ constructione dicemus suo loco. Quarta, Cõparatiua partitiua, quando scilicet inter duos fit comparatio, vt manuum dextera est fortior: de qua etiam in comparatiuis fiet mẽtio. Quinta, Nomina verbalia in, or, quę formantur à posteriore supino, u, in, or vt à doctu

doctor,

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

doctor: & fœminina terminata in, trix, quæ formantur à masculinis, tor, in, trix, vt à doctor doctrix: quæ omnia genitiuum postulant, vt doctor veritatis, cultor sapientiæ, expultrix vitiorum, actrix causarum. Notabis verbalia in, or, quæ masculina sunt, reperiri aliquando generis neutrius, vt tempus est rerum omnium repertor. Item actionem significare: præter vector, quod tam passiuè, quàm actiuè capitur. Passiuè, Cicero. 7. Philippica, Summi gubernatores in magnis tempestatibus à vectoribus admoneri solent. Actiuè, Ouidius. 1. Fastorum, Ecce rudens rauco Sileni vector asellus, Intempestiuos edidit ore sonos. Illud etiam obseruatione dignum est, terminata in, trix, quæ fœminina sunt, adiectiuorũ vim assumere aliquando. Lucanus lib. 1. Tollite iampridem, victricia tollite signa. Item formari aliquando irregulariter, vt ab expulsor expultrix, ab assessor assetrix, à tõsor tonstrix, à nutritor nutrix, & sic de aliis id genus.

De regentibus datiuum.

Quæ regunt datiuum, triplicia sunt. Nomina primùm significantia commodum, beneuolentiã, aut animi erga alios facilitatẽ, cũ cõtrariis: vt cõmodus, incõmodus, vtilis, inutilis, beneuolus, gratus, ingratus, charus, notus, iocundus, facilis, difficilis. Item significantia

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

cantia æqualitatem, vel animum ad rem aliquam aptum: vt par, impar, æqualis, inæqualis, aptus, ineptus. Postremò finita in bilis, vt amabilis cunctis. Quę formãtur in verbis primæ, tertiæ & quartæ cõiugationis, à secunda psona indicatiui. S. in, bilis, vt ab amas, amabilis, à credis credibilis, à scis scibilis: in verbis autem secundæ. E. in. I. mutatur, vt à terres terribilis, à doces docibilis. Quòd si secunda illa persona non fuerit, fingenda est: vt à lamentas lamentabilis: quædam tamen ex his ab vltimo supino formantur, vt contemptibilis, visibilis, sensibilis. Hæc nomina passionẽ significant, terribilis tamen & affabilis actionem, vt terribilis homo, affabilis vir. Duo actionem & passionem, horribilis & penetrabilis: vt horribile nemus, horribilis puer, sagitta penetrabilis, lignũ penetrabile. Quæ actionem significant, exponuntur per relatiuũ & præsens indicatiui, vt terribilis homo, qui terret. Quæ passionem, variè exponuntur: aut per relatiuum & præsens vocis passiuæ, vt visibilis nulli, qui à nullo videtur: Aut per relatiuum, & verba possum, mereor, aut nomen dignus cum infinitiuo passiuo: vt amabilis cunctis, qui potest, meretur, aut dignus est amari à cunctis.

De regentibus accusatiuum.

Nomina adiectiua dupliciter accusatiuum rege-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

regere possunt, figuratè, aut citra figuram. Figuratè, quando id quod est partis, attribuitur toti per Senecdochen, & pars ponitur in accusatiuo: vt niger oculos, horridus barbã. Citra figuram triplicia adiectiua accusatiuũ regunt. Nomina primùm verbalia in, bũdus, vt populabundus agros, vitabũdus castra hostium. Quæ exponuntur aut per verba frequentatiua, aut per sua verba cum aduerbio, valde: vt ludibundus, id est, lusitans, vel valde ludens: errabundus, id est, erritans, vel valde errans. Tùm nomina distantiæ, vel mensurę: vt Gymnasium longum centum pedes, latũ octo pedes: item puteus profundus quinquaginta vlnas. Quẽ casum regunt etiam sua cõparatiua, & superlatiua: vt hoc gymnasiũ altero longius est viginti passus, item latissimũ quinquaginta passus. Postremò ex elegantia & proprietate sermonis Latini adiectiua regunt accusatiuum, in his locutionibus, Ego sum Latinæ linguę peritus, cætera ignarus, item alia id genus.

De regentibus ablatiuum.

Alia sunt, quæ regunt ablatiuum aut media præpositione, aut sine ea. Triplicia regũt ablatiuum cum præpositione: nomina diuersitatis, vt alienus à vitiis, diuersus à tuis moribus, alius ab humanitate. Ordinalia, & cardinalia, vt secundus à Rege, tertius à Io-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ue, vnus ex fratribus: item oriundus, vt oriũ dus ex Africa. Alia ſine præpoſitione, ea potiſ ſimùm quæ excellentiã ſignificant, habitum, ſiue priuationem, ſiue inſtrumentum: vt inſi gnis, excellens, clarus, prẹditus, lætus. Quibus adduntur comparatiua, vt nemo eſt eloquen tior Cicerone.

De regentibus duplicem caſum.

Quædam regunt genitiuum vel datiuum. Ea ſunt adiectiua ſimilitudinis vel diſsimilitudinis, vt ſimilis ſeu diſsimilis patris vel patri. Item adiectiua propinquitatis loci, vel ſanguinis: vt proximus, affinis, cognatus, propinquus. Item contrarietatis, vt contrarius, inimicus, aduerſus Cæſaris vel Cæſari. Alia regunt genitiuum vel ablatiuum: qualia ſunt, plenitudinis ſeu copiæ cum contrariis: vt plenus, diues, abundans, refertus, vacuus. Poſtremò dignus. a. um, quod cum genitiuo vel ablatiuo conſtruitur, vt dignus honoris vel honore. Poſtulat aliquando infinitiuum, vt dignus coli: aliquando etiam poſterius ſupinũ, vt dignus amatu.

De Ablatiuo abſoluto.

Multi Grammatici affirmant, ablatiuũ eo ſolùm nomine dici abſolutum, ꝗ in oratione poni poſsit ſiue in principio, ſiue in medio, ſiue in fine, cùm ab oratione ſequenti prorſus depẽdeat, & ſine ea cõſiſtere nõ poſsit. Ego tamen

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

tamẽ ita existimo, ablatiuũ poni absolutè nihil aliud esse, quàm aliũde nõ pẽdêre, neq; ab alia parte orationis regi. Quòd si à sequẽti oratione pẽdêre videatur, illud tantùm est in sensu, vt scilicet perfectũ sensum in animo audientis ingeneret oratio, quo modo in præsentia nõ loquimur de regimine. Ac licèt ablatiuus absolutus regimine careat passiuo, bene tamen regimen habet actiuũ, cùm suũ casum à tergo regat, vt me Grammaticam docẽte, tu plurimùm in literis processisti.

Fit autem quinque modis. Ex duobus nominibus, vt Rege Philippo pax inter Gallos & Hispanos conciliata est. Ex nomine & pronomine, vt me præceptore bonas literas didicisti. Ex nomine & participio, vt Philippo imperante summa fuit pacis & otii tranquillitas. Ex pronomine & participio, vt me legente Resp. plurimum decoris & ornamenti suscepit. Ex participio præteriti, vt dicto de nomine, agendum est de verbo: aut ex solo gerundio, ex quorundam sententia, vt fando aliquid.

Notabis tamen hac in parte vnum, quod præcipuum est: nõ posse scilicet dari locũ ablatiuo absoluto, quãdo ablatiuus & verbi suppositum ad eandem personam pertinent. Nõ enim dices, me occupato non potui ad te scribere: sed ego occupatus. Item me occu-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

pato nullum tempus ad ſtudia relictũ eſt: dicendũ, mihi occupato. Similiter non dices, me legente profeci, ſed ego legens. Cęterùm ſi ablatiuus abſolutus, & verbi ſuppoſitũ ad diuerſas perſonas pertineant, habet locum ablatiuus abſolutus vt me magiſtro tu magnos in eloquẽtia feciſti proceſſus, Itẽ, me legente Reſp. omnem effugit barbarię maculã.

Si fortè quæras, Vtrùm alius caſus ab ablatiuo poni poſsit abſolutè? Reſpõdeo minimè id fieri poſſe. Si obiicias illud Salluſtii in Catilina. Præterea omnes vndique parricidæ, ſacrilegi, conuicti iudiciis, poſtremò omnes quos flagitium, egeſtas, conſcius animus agitabat, hi Catilinæ proximi erant. Vbi omnes illi nominatiui, parricidæ, ſacrilegi, ponuntur abſolutè. Reſpondeo, nominatiuos illos ſimul cũ pronomine demonſtratiuo, hi, regi ab eodem verbo, erant.

De quiſque.

Diſputat Nebriſſenſis de quibuſdam dictionibus, quę iũguntur diuerſis gradibus cõparationis, & de quibuſdam aliis partibus indeclinabilibus. Quiſque à quis &, que, coniunctione copulatiua ordinis poſtpoſitiui componitur: eſt autem nomen vniuerſale. Differtque à quiſquis, & quiſquam: nam quiſquam particulare nomẽ eſt: quiſquis poſtulat duas orationes, vt quiſquis benefecerit, à

Deo

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Deo accipiet ſui benefacti remunerationem: quiſque vnicam tantùm, vt ſuum quiſque ingenium habet.

Iungitur quiſque primùm omnium ſuperlatiuo, ſiue in eodẽ caſu, ſiue diuerſo: vt optimus quiſque, optimo quiſque ingenio. Poſtponitur ſemper ſuperlatiuo, niſi præcedãt hæ particulæ, vt, ita, quàm, & tam, tunc enim præponitur ſuperlatiuo: ſit exemplum, vt quiſq; ditiſsimus eſt, ita maximè honoratur: quàm quiſque ditiſsimus eſt, tam maximè honoratur. Caret genitiuo numeri pluralis, pro quo vtimur ſingulari: idem enim eſt, optimi cuiuſque animus, quod, omnium bonorum animus.

Iungitur tamen aliquando quiſque poſitiuis, variis modis. Primùm quãdo iungitur nominibus, quorũ ſignificatio nec creſcere, nec minui poteſt, vt ingens quiſque, ſingularis quiſque, omnipotens quiſque. Deinde quando iungitur nominibus habentibus ante, is, vel, vs, vocalẽ: vt ſtrenuus quiſque. Salluſtius in Catilina. Nam ſtrenuus quiſque aut occiderat in prælio, aut grauiter vulneratus diſceſſerat. Quidam tamen Salluſtiani codices ſcriptum habent ſtrenuiſsimus. Item pius quiſq;, non piiſsimus: quæ vox Ciceroni barbara viſa eſt, à qua tamen qui poſt illum ſecuti ſunt, non abhorruerunt. Quintus Curtius lib. 8. O

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

fidissimi, piissimique ciuiũ. Titus Liuius lib. 5. Piissimè tum apparari poterat. Præterea à quando iungitur numeralibus ordinalibus, vt primus quisq;, secũdus quisque. Quæ nomina cũ quisque possunt vel vnũ ex numero præscripto significare, vel vltimũ: vt dabo tibi ex ouibus decimã quanque, id est, vnam ex decem, quam malueris: quarto quoq; anno est bissextus. Vbi nemo quisquam tam lippus est, vt nõ videat de eo tantùm anno, qui in ordine quartus est, nõ de vno quolibet ex quatuor intelligi. Adhęc quando iungitur nomini, vnus, vt vnusquisque bonus, non vnusquisque optimus: quia vnus vim quandam ac naturam superlatiui obtinet, & absurdum esset in eâdem oratione iungere duas dictiones superlationem significãtes. Iũgitur postremò his dictionibus, sui, suus, quotus: sed cum quotus interrogatiuè. Vt suum quisque emolumentum amat, sibi quisque indulget, sui quisque misereturr: quotus quisque non superbit diuitiis? nullus, aut pauci.

Præter has formas positiuorum, inuenitur etiam quisque positiuo iunctũ. Cornelius Tacitus, Vt quisque Vitellio fidus. Iustinus lib. 1. Cognitione quæq; digna excerpsi. Suetonius in Othone, Inualidum quenque obuiorũ in sublime iactare solitus. Tacitus iterum, Certatim vt quisque animo ignauus. Ex his intelliges,

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ges,quiſque elegantiùs aſciſcere ſibi ſuperlatiuum:qui tamen poſitiuo iunxerit,non ineptè loqui cenſebitur,ſi tamen id parcè fecerit.

Poteſt etiam iungi quiſque comparatiuis, præcedentibus aduerbiis comparationis,quò, eò,quantò,tantò: vt quò generoſior quiſque eſt,eò vrbanior, vel quantò generoſior quiſque eſt,tantò vrbanior. Reperitur etiam ſine aduerbiis comparationis, iunctum comparatiuo,ſed rarò. Vegetius,Honeſtiores quiq; milites. Lactantius de Opificio,Placidiora quæq; animalia. Cicero in Verrem,Quiſque grauior homo,atq; honeſtior. Seneca lib.2. de Ira,Nõ vides vt maiorem quãque fortunam maior ira comitetur.

De Omnis,& Cunctus.

Omnis,totus,cunctus differunt: nã omnis numerum denotat,vt omnes homines naturâ ſcire deſiderant: totus quantitatem continuã dicit,vt totum panem comedi: cũctus vtriuſque ſignificationem habet,vt cũctum piſcem, aut cũctos piſces deuorauit. Omnis & cũctus poſitiuo iunguntur,& cõparatiuo: vt omnes boni,cũcti boni,omnes ſapiẽtiores,cũcti ſapiẽtiores. Verùm tametſi rectiùs feceris, ſi quod docet Laurẽtius,omni ſtudio fueris imitatus: non infrequenter tamen apud bonos authores inuenias,quo te tuearis,ſi cõtrà quàm ipſe tradit,fortè fueris loquutus. Placuit conſultò

quam

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

quamplurima Ciceronis exempla in medium proferre, in quibus omnis iungitur superlatiuo: vt omnes Grammatici intelligant, id nobis licere, quod Ciceroni Romanæ eloquẽtiæ parẽti toties licuit. Cicero pro Cecinna, Cur si cuiquam nouo ciui potuerit adimi ciuitas, nõ omnibus Patriciis, omnibus antiquissimis ciuibus possit? Idem in partitione Oratoria, Id effugiet, qui nõ omnia minima reperet. Idem de Oratore lib. 2. Qui omnes tenuissimas particulas, atque omnia minima mansa in os inserant. Idem in Bruto, Meus autem æqualis Cn. Pompeius, vir ad omnia summa natus. Pro Lucio Flacco, Ipse omnibus turpissimis iudiciis conuictus est. Pro Rabirio, Cùm denique omnes clarissimi viri cum Consulibus essent. Idem. 4. Epistolarum ad Lentulũ, Omni gradu amplissimo dignus. Idem ad Plancũ lib. 10. Omnibus mihi crede amplissimis honoribus abundabis. Sed me comprimam, ne in re à Cicerone frequenter vsitata firmanda, prolixus nimiùm alicui, aut superfluus esse videar.

De Aduerbis finitis in, Vm.

Aduerbia in um, vt tantùm, quantùm multùm, parùm, modicùm, paulùm, aliquantùm. Iunguntur primò positiuis, vt tãtùm doctus, quantùm facetus: aliquando cõparatiuis, quãdo sibi vicissim non respondent, nec est illa duorum contrapositio. Iuuenalis Saty. 11. De-

spi-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ſpiciam, qui ſcit quantùm ſublimior Atlas. Terentius, Eius frater aliquantulùm eſt ad rem auidior. Quintilianus libro.12.cap.9. At quidam ſi fortè ſuſceperint negotia paulùm ad dicendum tenuiora, ea conuitiis implent. Aliquãdo in vno membro eſt aduerbium in um, in altero, in o, ſiue contrà, graduum varietate id poſcente. Vergilius lib.12. O præſtans animi iuuenis, quantùm ipſe feroci Virtute exuperas, tantò me impenſiùs æquum eſt conſulere. Iunguntur deinde verbis, vt quantùm potes, tantùm in bonis literis labora. Item his prępoſitionibus ante, & poſt, & verbis ab illis cõpoſitis, & à prę: vt multùm ante, multùm pòſt multùm antecellis, paulùm poſt habui tua negotia meis, multùm præſtat.

De Aduerbijs finitis in, O.

Finita in, O, iunguntur tam comparatiuis, quàm ſuperlatiuis. Cicero primo Officiorum, Quantò ſuperiores ſumus, tãtò nos geramus ſubmiſsiùs. Catullus Epigrammate ad Ciceronem, Tantò peſsimus omnium Poëta, quantò tu optimus omnium patronus. Terentius in Eunucho, Hic quæſtus eſt nunc multò vberrimus. Excipiuntur paulò, & aliquantò, quę tantùm cõparatiuis adhærẽt, ne ſuperlatio cũ diminutione coniũgatur: vt paulò doctior, aliquãtò prudẽtior. Iũgũtur prętereà his prępoſitionibus ante, poſt, & verbis ab illis cõpoſitis

&

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

& à præ: vt tantò antè ego veni, quātò tu pòst venisti. Sallustius, Multò præstat maleficii, quàm beneficii immemorem esse. Adhærent item nominibus siue aduerbiis diuersitatem significātibus, vt quātò alius, multò aliter, multò secus. Postremò dictionibus significātibus excessum, vt multò superat, multò excellit.

De Tam & Quàm.

Hæc duo aduerbia tam, & quàm, duplicem habent vsum. Aut enim sibi inuicem respondēt in oratione, ita vt post tā sequatur quàm: aut ponuntur separatæ. Si sibiipsis respondeāt omnibus gradibus iunguntur. Positiuo, vt tam bonus, quàm doctus. Comparatiuo, verùm non ita frequenter: idque non tantùm apud Poëtas, vt multi volunt, sed apud Oratores etiam. Vergilius septimo Æneid. Tam magis illa fremens, & tristibus effera flammis, Quàm magis effuso crudescunt sanguine pugnæ. Valerius Maxi. libro quarto, Posterior ætas in excolēdo iure amicitiæ, quàm libentiùs, tam etiam religiosiùs erit operata. Cicero pro Deiotaro, Istam inquam dexteram, non tam in bellis, & in prælis, quàm in promissis & fide firmiorem. Superlatiuo frequentiùs, vt tam hic est omnium optimus, quàm nobilissimus. Sallustius in Iugurtha. Quàm quisq; pessimè fecit, tam maximè tutus est. Si verò ponantur separatim, & altera sine altera, iungun

tur

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

tur positiuo, & superlatiuo: comparatiuo minimè. De tam cum positiuo, Cicero, 2. Philippica, Tam bonus gladiator tam citò rudem cepisti? Cum superlatiuo, Idem, In tam optima causa non debeo timere. De quàm quia differendum est latiùs, ideò eius tractationem in hunc eundem locum non vocabo.

De Quàm.

Quàm, si capiatur pro quantùm, iungitur positiuo. Cicero lib. 7. Epistolarum ad Trebatium, Quàm sint morosi, qui amãt, vel ex hoc intelligi potest. Ex qua authoritate colliges, quàm pro quãtùm solere iungi verbo minùs principali, in recto præsertim modo loquendi & nõ figurato: at verò si oratio figurata sit, hoc est, irrisionis aut exprobrationis plena, iungitur verbo principali, vt quàm citò venisti, q̃ suauis homo es. Iungitur etiam superlatiuo cum verbis præsertim potentiæ, qualia sunt, possum, valeo, queo, licet, & si qua sunt alia: vt scribas quàm optimè potes. Sed tunc, vt author est Laurentius libro primo Elegantiarũ capi. 17. quàm non iungitur cum superlatiuo, sed cum verbo sic, scribas optimè quàm potes. Si verò obiicias dictum illud Terentianum in Eunucho, Tute scis, post illa quàm intimum habeam te: vbi sine verbo potentiæ, quàm pro quantùm iungitur superlatiuo intimum. Respondeo, intimum accipi pro

posi-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

positiuo, sicut proximum: dicimus nanq;, hic est mihi magis proximus, ita hic est mihi magis intimus. In quibus locutionibus, si proximus & intimus superlatiua essent, recipere nõ possent in consortium aduerbium magis. Postremò quàm pro quantùm iungitur verbo, vt scio quàm tibi placeant mea omnia. Et ne quid necessarium prætermittamus, scito studiose adolescens, quàm pro quantùm reperiri aliquando iunctum comparatiuo, & superlatiuo etiam Cicero secundo de Officiis, Sed tamen videmus, quibus extinctis Oratoribus, quàm in paucis spes, quàm in paucioribus sit facultas. Idem pro Cornelio Balbo, Sed quàm est illud imperitissimè dictũ. Cæterùm horũ graduum non est admodum frequens vsus apud authores.

Si verò quàm capiatur pro, valde, iungitur superlatiuo, & verbo etiã principali: vt quàm doctissimus est. Sed tunc non regit casum, nõ enim dixeris, quàm doctissimus est omnium: quo nomine differt à longè, cum quo superlatiuus casum regit, vt tu es longè omnium, quos mihi videre contigit, doctissimus. Si verò obiicias Terentianum illud in Andria, Reiecit se in eum flens quàm familiariter, vbi quàm pro valde iungitur positiuo. Respõdeo, ibi quàm capi pro quãtùm, & non pro valde: q̃ familiariter, id est, quantùm familiariter: figura-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

guratè, quasi, ô quantùm familiariter. Nihilominùs tamen scito, quàm pro valde apud bonos authores reperiri iunctum positiuo. Cæsar libro quarto Gallici belli, Monuit, vt maritimę res quàm celerem atque instabilem motum haberent. Idem libro primo bellorum Ciuilium, Qui inopinantes pabulatores aggressi, quàm magnum numerum iumẽtorum intercipiunt. Cœlius ad Ciceronem, Habeo quàm multa.

Sunt tamen hîc duo aut tria obseruatione digna. Quorum illud primum sit, loco quàm pro quantùm, posse poni ipsum quantùm: vt in dicto illo Ciceroniano, Quàm morosi sint, qui amant: dicere posses, quantùm morosi. At verò loco quàm pro valde, poni non potest ipsum valde: non enim diceres Latinè, valde doctissimus est, pro quàm doctissimus est. Sit secundum, quàm iungi superlatiuo plurimus, & Latinè dici quàm plurimas literas abs te accepi, non quàm plures: contrà complures, nõ complurimas.

Sit tertium, ex quàm & primùm, oriri quã primùm: quæ particula à cum primùm dupliciter differt. Tum, quia quam primùm significat confestim siue protinus, vt quam primùm veniam: cum primùm significat vt primùm siue vbi primùm, vt cum primùm mare intraui, exorta tempestas est. Tum etiam, quia quam=

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

primùm vnicũ desiderat verbum: cũprimùm verò duo, neq; aliter eius explebis naturam, vt in exemplis citatis videre est. Quod verò per cumprimùm solet enunciari, non minùs ornatè per vtprimùm, vbiprimùm, simul, simulac, simulatque, simulubi, simulprimùm, & alios dicendi modos exprimitur.

De Per, & Perquàm.

Per, quando cum adiectiuis componitur, capitur pro valde, & iungitur positiuo. In quo differt à quàm, nam quàm pro valde superlatiuo iungitur, vt quàm optimus, quàm doctissimus: per verò iungitur positiuo, vt perbonus, perdoctus. Quòd si vna aut altera authoritas apud scriptores reperiatur, quæ huic nostræ pręceptioni aduersetur, legem facere non debet, cùm nos de iis præcepta tradamus, quæ frequentiùs factitata sunt, pręsertim à Marco Tullio, & Marco Fabio optimis benedicendi magistris. Hoc dixerim, quia per reperitur aliquando iunctum superlatiuo. Liuius belli Macedonici lib. 10. Paucis & expeditis perdifficillimum aditum. Plinius Historicus lib. 2. capite. 54. Itaque perplurimùm refert vnde venerint flumina, & quò concesserint. Cato in libro de Re rustica, Ini bi Austrum caueto permaximè. Columella libro tertio cap. 20. Quum quod longè sit facilius, adhuc perpaucissimis agricolis contige

rit.

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

rit. Sed hæc rara sunt, neque ad imitationem proponenda.

Ex per & quàm, fit perquàm. Quæ vox positiuo etiam iũgitur, vt perquàm doctus: quia indecens videretur duo aduerbia vehementiam significantia superlatiuo anteponi. Quã legem sequuntur etiam illæ particulę vehemẽtiæ, sanequàm, nimisquàm, oppidoquàm, in primis, cumprimis, inter primos, in paucis, cũpaucis, inter paucos: quæ omnes positiuis iunguntur, non superlatiuis. Aliquando tamen perquàm iungitur superlatiuo. Boëtius in cõmentariis Logicæ breuioribus, Apud scriptores quidem Grękos perquàm rarissimos. Põponius perquàm breuissimos libros dixit. Curtius lib. 4. dixit etiam, Perquàm maximo posset exercitu. Sed huiusmodi exempla tam rara sunt, vt dubitari possit, an librariorũ fortè culpa similis error sit commissus. Iungitur etiam perquàm verbo, sicut per, vt perquàm velim, perquàm placet, sicut peruelim, perplacet.

De hei & væ.

Hei & væ interiectiones sunt dolentis, & iunguntur datiuo, vt hei mihi misero, væ tibi infelici. Olim tamẽ accusatiuo iũgebãtur, hei me, væ te: sed huius constructionis nullus est vsus apud probos authores. Iungit vocatiuo. Terẽtius, Hei noster laudo. Aliquãdo verò per

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

væ alicui minamur cum eodem datiuo. Martialis lib.5. Carpere causidicus fertur mea carmina, qui sit, Nescio: si sciero, vę tibi causidice. Aliquãdo aspirata in fine iungitur vocatiuo, vt væh insane. In compositione aliquando auget, vt vægrandis: aliquando minuit, vt vęcors, qui mali turbatique cordis est. Si scribatur sine Diphthõgo, coniunctio est disiunctiua ordinis postpositiui, de qua in pręsentia nõ est sermo.

De Heu & O.

Heu interiectio est etiam dolentis, & aliquãdo ponitur absolutè, vt Heu quantis sum tempestatibus iactatus. Si verò non ponatur absolutè, tres regit casus. Nominatiuum, Vergilius Æneid. 6. Heu pietas, heu prisca fides. Accusatiuum, Terentius in Andria, Heu me miserum. Et ferè cum huiusmodi pronominibus dolentis est particula: nam cum alio nomine frequentiùs ea vtimur ad exprobrandum. Vergilius Æneid. 7. Heu stirpem inuisam. Vocatiuum, Vergilius, Heu regni rerumque oblitetuarum. Apud Ecclesiasticos & Plautum iũgitur datiuo, Heu mihi, quia incolatus meus. Geminatur aliquãdo sine casu. Plautus Pseud. Heu heu, q̃ ego malis perdidi modis quod tibi detuli. Eheu ponitur etiam sine casu. Vergi. secunda Ecloga, Eheu quid volui misero mihi, floribus Austrum. Idem tertia, Eheu

quàm

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

quàm pingui macer eſt mihi taurus in aruo.

O, aut eſt vocantis aduerbium: aut interiectio dolentis, commiſerantis, ſeu indignantis. Si ſit vocantis aduerbium, vocatiuo ſolùm iũgitur, ô Melibœe. Eſt etiam optãtis, Vergilius Ecloga ſexta, O tantùm libeat mecum tibi ſordida rura, ideſt, vtinam libeat. Si verò ſit interiectio, ſeruit omnibus affectibus, & iungitur tribus caſibus. Nominatiuo, ô ego ter felix. Accuſatiuo, ô me miſerum, ô te infelicem. Sed ſi ſupprimatur, non habet tantum caloris & vehementiæ, vt indignum facinus, hominem nequam & perditum. Vocatiuo, Cicero pro Flacco, O nox illa, quæ penè æternas huic vrbi tenebras attuliſti.

De En, & Ecce.

En & ecce, demonſtrandi ſunt aduerbia. Sed en ponitur aliquando abſolutè, en magna ſcholaſticorum multitudo in eum locum confluxit. Aliquando cum nominatiuo, Verg. 1. Ænei. En Priamus. Atq; hac particula vtimur cum nominatiuo non tantùm demõſtratiuè, ſed exprobratiuè etiam. Cicero pro Deiotaro, En crimen, en cauſa, cur Regem fugitiuus, dominum ſeruus accuſet. Aliquando cum accuſatiuo non tantùm demonſtratiuè, Verg. En quatuor aras. Sed exprobratiuè, Idẽ Ænei. 12. En agros. Hen apud Comicos reperitur cũ eiſdem caſibus. Nominatiuo, Plautus Curcul.

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Hen tibi anus lepida. Accusatiuo, Terentius in Andria, Hen Dauum tibi.

Ecce ponitur etiam absolutè, & apud Poëtas repentinum aliquid insperatúmve significat. Verg. Æneid. 2. Ecce trahebatur, passis Priameia virgo Crinibus. In sacra pagina sacramentum aliquod diuinitatis plenũ importat, ecce virgo concipiet. Iũgitur nominatiuo. Cicero lib. 14. ad Atticum, Ecce autẽ Antonius accepta grandi pecunia. Accusatiuo, licèt non ita frequenter. Plautus in Mercatore, Ecce me Acãthio, quem quæris. Terẽtius in Adelphis, Ecce me, qui id faciã vobis. Cicero pro Cecina, Cùm subitò ecce eum qui solet, suos solos seruos armatos fuisse dixit. Iungitur etiã datiuo tibi, ecce tibi: qui loquendi modus frequẽtissimus est apud Ciceronem.

Componitur ecce cum pronominibus hic & ille, eccum, eccam, ellum, ellam: sed priora exponuntur per ecce & hîc, posteriora per ecce & illic: eccum ecce hîc eum, ellum ecce illic eum.

De comparatiuis.

Explicata nominum adiectiuorum constructione, & quarundam partium indeclinabiliũ natura, disputat Nebrissensis de comparatiuis & superlatiuis: quorum tractatio plurimũ habet intra se vtilitatis & emoluméti, ac propterea diligentiùs à nobis insudandum est, ne quid

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

quid in ea prætermittatur, quod ad exactam perfectamque eorum cognitionem conducere aliquantisper videatur. Comparatiua igitur à comparando dicta sunt, quòd per ea rei ad rem cōparatio fieri soleat cū excessu quodam. Nam cùm tres sint gradus comparationis, Positiuus, Comparatiuus, Superlatiuus: Positiuus qualitatem ipsam vel quantitatem (nam in his duobus fit omnis cōparatio) simpliciter adhuc, absoluteque, nec aliò relatam significat: Comparatiuus eandem quantitatē, qualitatémve tollit, vel deprimit: Superlatiuus verò, quantum est in se, eò vsq; prouehit, vt metas figat, vltra quas progredi minimè liceat. Comparatiuorum igitur materiam aggrediētes, ab eorum definitione auspicemur: deinde explicemus à quot partibus orationis oriantur, mox quo pacto formentur, deinde quot modis construantur, postremò de cōparatione erit sermo.

Quid sit comparatiuum.

Comparatiuum nomen est, quod cum intellectu positiui, vel aliquo participe sensus positiui, significat magis aduerbium. Finitionis partes explicemus oportet. Quod cum intellectu positiui: id est, vltra illud quod significat nomen positiuum, significat aduerbiū magis, vt fortior te, id est, magis fortis, iustior te, id est, magis iust⁹. Vel aliquo participe

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ſenſus poſitiui. Intelligit quancunque aliam orationis partem, quę ponitur loco nominis poſitiui, putà verbum, præpoſitionem, aduerbium, à quibus comparatiua oriri ſolent, vt citerior magis citra, vlterior magis vltra. Nam duplicia ſunt poſitiua, propria & impropria: propria ſunt nomina adiectiua, vel vim illorũ habentia: impropria verò, verbum, præpoſitio, aduerbium, à quibus (vt paulò pòſt dicemus) formantur aliquando tum comparatiua, tum ſuperlatiua. Sed quia hæc definitio non tantùm explicat quid ſit nomen comparatiuum, quàm quid ſignificet, ideò eius naturam poſſes hac finitione exprimere. Comparatiuũ eſt rei ad rem collatiuum: nam in hoc comparatiui natura verſatur tota, vt rem vnam cum altera conferat.

Ex prioris definitionis expoſitione liquidò conſtat, traditam fuiſſe de comparatiuo cõparato. Nam duplex eſt comparatiuus, comparatus, & abſolutus. Comparatus eſt, qui comparationẽ importat, & proprii caſus ſyntaxi exornatur: abſolutus verò, qui nullam præſefert comparationem, & omni nudatus eſt cõſtructione. Comparatiuus igitur comparatus æquipollet ſuo poſitiuo & magis: vt Cicero eloquentior Hortenſio, id eſt, magis eloquẽs, qua in re nulla eſt inter Grammaticos controuerſia. Cęterùm vtrùm comparatiuus abſolutus

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

tus ſignificet quantum poſitiuus, an minus, in hoc eſt grauiſsima inter Latinitatis principes contentio. Priſcianus lib. 3. cap. de comparatiuo aſſerit, Comparatiuum abſolutè poſitum ſignificare minus quàm poſitiuum: cuius ſententiæ adhæret in litera Nebriſſenſis. Idque duabus præcipuè authoritatibus cõfirmat, quarum prior eſt ex. 1. Æneid. Triſtior & lachrymis oculos ſuffuſa nitentes, alloquitur Venus, id eſt, ſubtriſtis. Nam cùm Dea eſſet, vera triſtitia perturbari non poterat. Poſterior ex Æneid. 6. Iam ſenior, ſed cruda deo viridisq; ſenectus. Loquitur de Charonte, qui animas ad inferos tranſportabat, qui parùm ſenex erat, cùm non adulta & præceps, ſed viridis ac veluti incipiens illi eſſet ſenectus.

Sed ego hac in parte non poſſum cum Laurentio & Seruio etiam in ea Vergilii loca, nõ conſentire: qui tenent comparatiuum abſolutum non minus, ſed tantum ſignificare, quantum poſitiuum: ex vulgata Quintiliani authoritate, Vtimur vulgò comparatiuis pro abſolutis, id eſt, poſitiuis. Ad carmen Vergilii, Triſtior & lachrymis, &c. Reſpõdeo triſtior pro triſtis capi: nam reuerà Venus triſtis erat, cùm videret filium Æneam tot ac tantis tempeſtatibus & procellis iactari, neque aditum illi in Italiam dari, in qua ex Deorum oraculis deberet principatum tenere. Quòd ſi ſubtriſtis eſ-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ſet,non ſubderet Vergilius,& lachrymis oculos ſuffuſa:nam parùm triſtis & lachrymis plena,pugnant inter ſe. Ad alterum,Iam ſenior, ſed cruda Deo: ibi ſenior nõ pro parùm ſene, ſed pro ſene,aut valde ſene capitur. Et eſt ſenſus magis apertus,& gratior multò,Charõ ad multam peruenerat ſenectutem,ſed adeò viridis erat & robuſta ſenectus, quaſi modò inciperet ſeneſcere.

Vnde oriantur Comparatiua.

Partes autem orationis,à quibus comparatiua & ſuperlatiua deducuntur,quatuor ſunt, nomẽ,verbũ,præpoſitio,aduerbiũ:quas neceſſe eſt ſigillatim percurrere, ne quis ſibi falsò perſuadeat,ab omnibus in vniuerſum nominibus oriri poſſe cõparatiua & ſuperlatiua.

Nominum alia ſunt ſubſtantiua, alia adiectiua:ſubſtantiuorum alia propria,alia appellatiua. A propriis non deducuntur comparatiua,niſi fortè per iocum dixeris à Nerone Neronior,à Catone Catonior. Appellatiua duplicia ſunt:alia abſoluta, quæ vltra principale ſignificatũ nihil aliud importãt, vt homo, leo, lapis,paries:à quibus comparatiua non formãtur,cùm ſubſtantia ipſa incrementum, aut diminutionem ſuſcipere non poſsit. Alia quæ à Dialecticis connotatiua appellantur:quorum ea natura eſt, vt præter præcipuam ſignificationem, qualitatem aliquam præſeferãt, quæ

minui

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

minui aut augeri posſit, & in qua fieri etiam poſsit comparatio. Ea autem ſunt, diues, pauper, iuuenis, ſenex, adoleſcens, & ſimilia: quæ diuitias, paupertatem, iuuentutem, ſenectutē, adoleſcentiam important. Quibus omnibus vnus altero maior aut minor eſſe poteſt, ac propterea ab his pulchrè naſcūtur comparatiua, ditior, pauperior, iunior, ſenior, adoleſcētior. De ſubſtantiuis dictum eſt.

Adiectiuorum duplex eſt forma. Nam alia ſunt, quæ qualitatem aut quantitatem ſignificant, quæ minui, aut creſcere non poſsit: qualia ſunt, ſummus, vnicus, ingens, omnipotens, imus, quæ ex ſeipſis comparatiua aut ſuperlatiua gignere non poſſunt. Alia quorum ſignificatio creſcere, aut diminutionem ſuſcipere poſsit, & ab his formantur comparatiua, vt à forti fortior, à grandi grandior. Excipiuntur tamen ab his nomina primùm quæ ante, is, vel, us, vocalem habent, qualia ſunt pius, ſtrenuus, aſsiduus, tenuis: quæ non formāt cōparatiua, Euphoniæ, id eſt, boni ſoni gratia. Quanquā ſæpiſsimè apud bonos authores inueniūtur ab huiuſmodi adiectiuis cōparatiua: vſu enim & cōſuetudine effectū eſt, vt ſonus ille eruditas aures nō offendat. Cicero Rhetoricorum lib. 2. Sed illæ tenuiùs, & acutiùs, & ſubtiliùs tractantur. Idem in Bruto, Aſsiduiſſimè autem mecū fuit Dionyſius. Suētonius

in

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

in Galba, Assiduissimi vsus. Plin. Iunior lib. 7. Epistolarum, Exiguissima legata. Plinius Senior lib. 18. Milites strenuissimi ex agricolis gignuntur: & alia innumera. Excipiuntur item nomina omnia numeralia cuiuscunque ordinis sint, quæ comparatiua non formant, qualia sunt, primus, secundus, duplus, triplus, bini, terni. Excipiuntur præterea pronomina omnia in propria natura capta, à quibus non promanant comparatiua. Dixi si in propria natura capiantur, nam ipse pro similis format ipsissimus, id est, simillimus. Excipiuntur deinde signa omnia vniuersalia, & particularia, vt omnis, cunctus, aliquis, quidam. Item possessiua, vt paternus, maternus, Vergilianus. Postremò significantia patriam, vt Complutẽsis, Burgensis, Cordubensis: & alia, de quibus certa regula tradi non potest: à quib⁹ omnibus nec comparatiua nascuntur, nec superlatiua. Solent tamen in multis eorum suppleri comparatiua per magis & positiuum: superlatiua per maximè & suum etiam positiuum: vt magis strenuus, pro strenuior, maximè strenuus, pro strenuissimus.

Iuxta multorum sententiam, à duobus verbis prodeũt comparatiua & superlatiua: à detero deterior, à potior potissimus. Sed ego ita existimo deterior non à detero, sed à deter antiquo positiuo, sed obsoleto, nasci: & potis-

simus

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ſimus non à verbo potior, ſed à nomine potis &,e,deriuari.

A præpoſitione proficiſcuntur comparatiua, vt à prope propior. Itē ab aduerbiis, vt à pridem prior: à ſæpe, ſæpius, ſæpiſsimè.

Quæres, Vtrùm à participiis formentur cō parariua? Reſpondeo, pulchrè ſatis formari poſſe, non quatenus participia ſunt, ſed quatenus nomina: idque tantùm contingit in participiis præſentis, & præteriti, vt ab amans amā tior, à doctus doctior.

Quo pacto formentur.

Formatio eſt nouæ vocis noua quædā compoſitio. Eſt autem quantùm attinet ad preſentem materiam, duplex: regularis, & irregularis. Regularis eſt, quando prima ſyllaba poſitiui ſeruatur in comparatiuo & ſuperlatiuo. Irregularis verò, quando eadem prima ſyllaba non ſeruatur: agamus de regulari. Comparatiua regulariter formantur à poſitiuis primæ & ſecūdę declinationis, à genitiuo ſingulari maſculini generis addita, or: vt albi albior. A quo eodem genitiuo formantur ſuperlatiua addita, S, & ſimus: vt albi albiſsimus. A poſitiuis verò tertiæ declinationis à datiuo ſingulari addita, or, vt à forti fortior: ſuperlatiua verò à genitiuo ſingulari addita, ſimus, tantùm, vt fortis fortiſsimus.

De formatione irregulari. Excipiūtur ſex-

cuplicia

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

cuplicia nomina, à quibus oriuntur comparatiua & superlatiua, non seruata regula formationis. Prima, Adiectiua in ficus composita à facio, vt magnificus, beneficus: à quibus non formantur comparatiua, sed à participiis magnificens, beneficens, quę in vsu non sunt. Secunda, Adiectiua in dicus composita à verbo dico, vt benedicus, maledicus: à quibus nõ deducũtur comparatiua, sed à participiis benedicens, maledicens. Tertia, Adiectiua in, olus, composita à verbo volo, vt beneuolus, maleuolus: à quibus comparatiua originẽ non trahunt, sed à participiis beneuolens, maleuolẽs. Quarta, Adiectiua à verbo loquor composita, vt magniloquus, grãdiloquus, vaniloquus: à quibus comparatiua non profluũt, sed à participiis magniloquens, grandiloquens, vaniloquens. Quinta, Adiectiua finita in, er, à quorũ nominatiuo formantur superlatiua in, rrimus, vt à miser miserrimus, à tener tenerrimus: quorum proportionem sequuntur vetus veterrimus, maturus maturrimus. Sexta, Adiectiua in, lis, quæ per hanc dictionem fagus intelliguntur: quæ comparatiua formant secundùm regulam, superlatiua prętter regulam, à nominatiuo, is, in, limus: ea autem sunt facilis, agilis, gracilis, humilis, similis. Ex hac formatione liquidò omnibus cõstabit, triplicia esse comparatiua: voce tãtùm, vt

nouissi-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

nouissimus: significatione tantùm, vt melior, peior: voce & significatione simul, vt albior, fortior.

Quot modis construantur.

Gradus comparatiuus quadrupliciter considerari solet. Adiectiuè, vt doctiores viri ita sentiunt: & ita nullum regit post se casum, sed cum substantiuo concordat in genere, numero, & casu. Positiuè, quãdo sui positiui casum regit, vt doctior pilæ, quàm literarum: tũc etiã casum regit ex vi comparationis, vt aptior te bello. Partitiuè, quando fit inter duos comparatio, & tunc genitiuum regit, vt manuũ dextra fortior, tunc etiam ablatiuum regit ex vi comparationis, vt manuum dextra fortior sinistra. Sunt autem tria necessaria, vt comparatiuus genitiuum regat ex vi partitionis. Vt comparatio fiat inter duo: vnde ineptè satis diceretur, fortior digitorum est pollex. Vt sit conuenientia inter comparatiuũ & genitiuũ in genere: vnde barbarè diceretur, maior horum charitas, sed maxima. Vt cõparatio fiat inter res eiusdem generis & naturæ: vnde agrestis plane & rusticus esset, qui sic loqueretur, pedum manus dextera est fortior. Postremò capitur in propria vi & natura, & tunc ex vi comparationis varios regit casus.

Primùm omniũ construitur cum ablatiuo,

siue

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ſiue ſingulari, ſi fiat ad vnum comparatio, ſiue plurali, ſi fiat ad plures: doctior te, eloquẽtior cæteris Oratoribus. Conſtruitur præterea cũ duobus ablatiuis, altero ex vi exceſſus, vt ſum longior te quatuor digitis.

Deinde cum caſu, quẽ particula quàm pro ratione verbi ſubintellecti copulat, vt Plato eloquentior quàm Demoſthenes. Aliquando loco quàm ponuntur ac, atq;: vt longiùs oratione ſum progreſſus, ac ſiue atq; mihi conſtitueram. Interdum poſt quàm ſequuntur illæ particulæ, pro, qui, vt. Exemplis cõfirmemus. Maiorem geris pileum, quàm pro magnitudine capitis: hic adoleſcentior eſt quàm qui poſſit Rempub. gubernare: hic imbecillior eſt, quàm vt tam grauẽ prouinciam humeris poſſit ſuſtinere. Notabis quod eſt hac in parte pręcipuum, coniunctionem ſcilicet quàm exigere ſua natura, vt caſus ſequẽs ſimilis ſit pręcedenti, quod intelligendum eſt reſpectu eiuſdem verbi: at verò ſi ſequatur cum quàm verbum ſubſtantiuum, ſequetur nominatiuus. Aliâs pręcedente altero nominatiuo, vt melior dux Scipio, quàm fuit Annibal. Aliâs pręcedente genitiuo. Gellius lib. 10. Marci Varronis, quàm fuit Claudius, doctioris. Aliâs præcedente datiuo. Cicero in Verrem, Homini gratioſiori, quàm Cn. Calidius eſt. Aliâs præcedente accuſatiuo. Plaut. in Curc. Mulierem

peiorem

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

peiorem, quàm hęc eſt, non audiui. Aliâs prę-cedente ablatiuo: vt viduatus eſt muliere peiore, quàm vlla meretrix vnquam fuerit.

Poſtremò cum accuſatiuo mediis præpoſitionibus, Inter, Ante, Super, vt inter omnes tyrãnos crudelior Nero. Variato per alias præpoſitiones. Item etiam cũ ablatiuo mediis prępoſitionibus, E, Ex, De, vt è fratribus hic pedibus velocior: poterit hæc oratio per alias præpoſitiones variari.

Hæ ſunt germanæ conſtructiones comparatiuorum, quibus tamẽ optimi authores abutuntur, quemadmodũ & poſitiuis, ſed poſitiuis bifariam. Aliâs cùm vicem gerunt comparatiui: quod genus Plautinum illud in Rudente, Tacita bona eſt mulier ſemper, q̃ loquens: bona, id eſt, melior. Aliâs cùm vim tenent ſuperlatiui: quale Plinianum illud libro decimo ſexto, Palma arborũ valida, in diuerſum enim curuatur. Id autẽ perinde eſt, quòd palma arborum validiſsima. Comparatiuis verò trifariam abutuntur. Conſtructione, quando cõſtruuntur cum genitiuo ex vi comparationis. Plinius libro ſeptimo, cap. 30. Omnium triumphorum lauream maiorem adepte. Curtius libro quinto, In oculis duo maiora omniũ naui gia ſubmerſa ſunt. Formatione, quãdo à ſubſtãtiuis, aut pronominibus formãtur. Significatione, cùm rẽ poſitiuis contrariã ſignificãt,

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

vt mare Ponticũ dulcius eſt, quàm cæter amaria: id eſt, minùs amarum.

Sed quæritur, priuſquàm vlteriùs progrediamur, Vtrùm ſemper comparatiuus cõſtruatur cum ablatiuo? Reſpondeo quinque modis priuari huius caſus cõſtructione. Primò, quãdo nomen caret ablatiuo: vt hic ager vberior eſt, quàm tua rura, non dices ruribus. Secundò, quando fit comparatio inter duo nomina poſitiua, ſiue cõparatiua: vt ſermo facetus magis, quàm vtilis, aut ſermo facetior quàm vtilior. Tertiò, quando fit comparatio inter duo verba; vt ego velociùs lego, quàm ſcribo. Quartò, quando capitur partitiuè, vt oculorũ dexter perſpicacior. Quintò, quando dictio à qua fit exceptio, ponitur in nominatiuo: vt Priſcianus doctior fuit quàm cæteri Grammatici, pręterquàm Laurentius: non dices Laurẽtio, quia pręterquàm poſtulat caſum ſequentem præcedenti ſimilem.

Quæritur etiam, Vtrùm ablatiuus qui regitur ex vi comparationis, exponi ſemper poſsit per quàm? Reſpondeo, id ſeptem modis fieri non poſſe. Primò, quando ablatiuus caret nominatiuo: vt verbere crudelior carnifex: non dices, quàm verber. Secundò, quando ablatiuus eſt nominis relatiui: quo iuſtior alter, nõ dices quàm qui. Tertiò, quando ablatiuus eſt dictionis negatiuę, vt nemine tu es fortior: nõ

dices

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

dices quàm nemo, quia negatio præcedere debet, non sequi. Quartò, quando ablatiuus est horum nominum opinione, fide, spe, solito, æquo, iusto, dicto: fit enim tunc resolutio per verba, doctior opinione, id est, q̃ opinabar: velociùs spe mea, quàm sperabam: doctior solito & æquo, quàm solebã, aut ęquũ erat: dicto velociùs venit, quàm dixit. Quintò, quando cõparatio est partitiua, vt manuũ dextera est fortior. Sextò, quãdo dictio à qua fit exceptio, ponitur in ablatiuo: vt Diomedes fortior Troianis, præterquàm Hectore: non dices magis fortis quàm Troiani, præterquàm Hectore, sed Hector. Septimò, quando ablatiuus significat actionem, & exponi deberet per genitiuũ passiuum: vt expoliaui arma militis te fortioris: non dices, arma militis magis fortis quàm tui, sed quàm tu sis.

De Comparatione.

Hac in parte explicabimus quidnam sit cõparatio, quot ad propriam & perfectam comparationem necessaria sint, quotuplex sit comparatio, postremò quot modis fieri soleat omnis comparatio.

Quid sit Comparatio.

Comparatio est rei ad rem collatio cum excessu: vt differat à similitudine, nã quæ ęquat, similitudo est potiùs quàm cõparatio. Contingit tamen rem similẽ cum simili comparari, vt

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Plato fuit doctior Aristotele. Item cum dissimili, vt Deus est melior dæmone. Fit etiam cõparatio maioris ad minorem, vt Gigantes fuerunt Pygmæis fortiores. Minoris ad maiorẽ, vt Pygmæi fuerunt Gigantibus minores. Quę membra solent alii Grammatici in definitione comparationis includere, atq; ita comparationem definiũt. Comparatio est rerũ similiũ, aut dissimiliũ, maiorum ad minora, minorũ ad maiora collatio. Quę definitio in nullo alio discrepat à priore q̃ quòd per partes explicat, quæ latent in priore.

Quot requirantur ad perfectam comparationem.

Sunt autem necessaria quinque ad bonam & perfectam comparationem, res comparata, res cui comparetur, accidens in quo fiat cõparatio, & quòd vterq; terminus sit accidẽtis particeps, item quòd alter sit magis particeps accidentis: quia omnis cõparatio id agit, vt alterum præferat. Vt Demosthenes eloquentior Æschine. Demosthenes est res cõparata, Æschines cui cõparatur: eloquẽtia, qualitas in qua fit comparatio: & vterq; est eloquẽtiæ particeps, verùm Demosthenes magis.

Quotuplex sit Comparatio.

Est autem quadruplex comparatio, propria, impropria, abusiua, hyperbolica. Propria est, in qua res cõparata, & cui cõparatur, sunt eiusdem

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

eiusdem qualitatis participes: vt Hercules fortior leone. Impropria, in qua alter termin⁹ qualitatis positiui particeps est, alter verò non: vt cygnus albior coruo. Abusiua, in qua neuter terminus est qualitatis particeps: vt coru⁹ est albior Æthiope. Hyperbolica, in qua omnes veritatis lineas transilimus: vt niue candidior. Solent autem huiusmodi comparationes hyperbolicæ fieri per genus neutrum, quod nescio quid plenius sonat q̃ masculinum: vt nihil est te literatius, nihil est illo prudentius, nihil est isto inhumanius.

Quot modis fiat Comparatio.

Fit autem omnis comparatio præcipuè modis quinque. Primò, ad vnum sui generis vel diuersi, & vtendum est comparatiuo: vt tu es contubernali doctior, item velocior ceruo. Secundò, ab vno ad alterum per genitiuũ vtrunque significantem, & tunc vtimur etiam comparatiuo genitiuum exigenti, vt manuum dextera est fortior. Tertiò, ab vno ad plures, & à pluribus ad plures diuersi generis, & tũc etiã locus est comparatiuo: vt Achilles fuit fortior Troianis, item Græci fuerunt Troianis fortiores. Quartò à pluribus ad vnum per comparatiuum, vt nos sumus te doctiores. Quintò, ad plures eiusdem generis, & tunc vtimur superlatiuo, vt Achilles fortissimus Græcorum: quanquam & similis comparatio fieri po

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

teſt per comparatiuum cũ relatiuo diuerſitatis, vt Achilles fuit fortior cæteris Græcis. Preter hęc poteſt etiã fieri cõparatio ad ſe ipſum, vt ſum ſolito eloquentior: & ab vna qualitate ad aliam, vt ſum magis induſtrius, quàm fortis: aut ab vno gradu ad alium, vt loquacior quàm eloquentior.

Sed quæres, quænam dicãtur eſſe eiuſdem generis, aut diuerſi? Reſpondeo, illa eſſe eiuſdẽ generis, quibus vnum nomen commune eſt: aut in quibus res comparata includitur in genitiuo ſiue ablatiuo comparationis. Vt Plato Philoſophorum eloquentiſsimus: nomen Philoſophi tã Platoni, quàm cęteris Philoſophis commune eſt, item Plato in genitiuo Philoſophorũ incluſus eſt. Illa verò ſunt diuerſi generis, quę vnũ nomen commune nõ habẽt, & in quib⁹ res cõparata nõ eſt incluſa in genitiuo, ſiue ablatiuo cõparationis: vt Achilles fortior Troianis, nam Troianorũ nomẽ non eſt commune Achilli, neq; Achilles in Troianis incluſus eſt.

De Superlatiuis.

In hac materia tria tantùm explicabuntur, quid ſit nomen ſuperlatiuum, quot modis cõſtruatur, & quę differẽtia ſit inter ſuperlatiuũ & comparatiuũ. Nomẽ ſuperlatiuũ eſt, quod ad plures ſui generis comparatũ omnibus antefertur, vel per ſe prolatũ ſignificat quantùm po-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

positiuum cum valde. Examinemus huius finitionis partes. Quod ad plures sui generis comparatum. Nam per superlatiuũ necessariò fieri debet comparatio ad plures sui generis, vt Achilles Gręcorum fortissimus: nomen enim Græcorum commune est Achilli, & Gręcis omnibus, item Achilles in genitiuo Gręcorum comprehensus est.

Si obiicias Vergilianum illud, Ingredere ô Teucrûm atque Italûm fortissime ductor: vbi videtur Vergilius comparationem fecisse inter res diuersi generis, cùm loquatur de Ænea Troiano. Respõdeo genitiuos illos, Teucrûm, & Italûm, regi non à superlatiuo, sed à nomine verbali ductor. Si iterũ obiicias illud ex. 3. Æneid. de Celæno harpyïa, Furiarum ego maxima pando. Item illud ex sexto Æneid. de fame, Furiarũ maxima iuxtà accubat: vbi Celænon, & famem furias vocat. Respondeo, Celęnõ & famem fuisse quodammodo furias, cùm Harpyïa more furiarũ omnia polluerct, atque prophanaret, fames vero in furias homines agat. Si postremò obiicias illud Macrobii in Saturnalibus, Age Serui omnium non modò adolescentiũ, qui tibi æquæui sunt, sed & senũ quoque doctissime: vbi Seruium adolescentibus, & senibus comparat. Respondeo non oportere, si genitiuus rectus ex vi superlationis per suas partes explicetur, vt partes illę rei

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

excedenti conueniant: sed satis esse genitiuum superlationis illi conuenire. Quod in præsenti authoritate contingit, nam Seruius sub genitiuo illo generali omnium clausus est: nec necesse est, vt conueniat reliquis partibus, per quas genitiuus ille explicatur. Quod in hoc etiam exemplo licebit intueri, Homerus omnium Poëtarum doctissimus, tam Græcorum quàm Latinorum: quam comparationem nullus sanæ mentis reprehendet. Omnibus antefertur: nam cùm tres sint gradus comparationis, positiuus, comparatiuus, superlatiuus, non dubium quin superlatiuus omnibus superponatur. Hoc intellige duabus legibus seruatis. Esto prior, Dummodò comparatiuus non postponatur superlatiuo, nam tunc comparatiuus plus significat: vt Aristoteles est doctissimus, sed Plato doctior. Esto posterior, Dummodò nomen superlatiuum à comparatiuo non regatur, vt Plato fuit doctior Aristotele doctissimo: tunc enim comparatiuus plus significat, quàm superlatiuus. Vel absolutè prolatum, Nam cùm superlatiuus capitur absolutè, æquipollet positiuo & valde: vt Cicero eloquentissimus, id est, valde eloquens. Cæterùm si capiatur comparatè, æquiualet positiuo, maximè, & ex: vt Achilles Græcorum fortissimus, id est, maximè fortis ex Græcis.

Quot

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Quot modis construatur Superlatiuus.

Superlatiuus quincupliciter consideratur. Absolutè, vbi nullum regit casum, vt doctissimi viri sic sentiunt. Positiuè, cùm casum sui positiui regit, vt Grammaticæ peritissimus Priscianus. Partitiuè, vt digitorum medius est longissimus. Vt autem superlatio partitiua sit, tria requiruntur, Vt comparatio fiat inter plura duobus, Vt fiat inter res eiusdẽ generis & naturæ, Vt sit conuenientia inter superlatiuum & genitiuum in genere: aliquando tamen huiusmodi concordia non seruatur, vt animalium velocissimus lepus. Substantiuè, quando ponitur in neutra terminatione: & tunc ex vi superlationis casum non regit, sed genitiuum ex vi possessionis, vt frigidissimum hominis est cerebrum. Postremò in propria superlationis natura, & tũc tripliciter construitur. Cum genitiuo plurali sine relatiuo diuersitatis, vt Marcus Varro Romanorum doctissimus. Aut singulari, si nomen sit collectiuum, vt fortissimus gẽtis Danaûm. Est autem nomen collectiuum, quod in singulari multitudinem aut plurium collectionem significat, qualia sunt, concio, turba, gens, populus, plebs, caterua, & similia. Huic genitiuo non licet addere pronomen suus: nam ex sententia Laurentii non dicitur Lati

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

nè, Hæc eſt formoſiſsima ſuarũ ſororũ, cùm hæc non ſit ſua ſoror: ſed locutio fieri debet ſine pronomine ſuus. Præterea à conſtruitur cum accuſatiuo mediis prępoſitionibus, Inter, Ante, Super: vt Cicero inter omnes Oratores Romanos eloquentiſsimus. Hæc eadẽ oratio per alias præpoſitiones poterit variari. Deinde cum ablatiuo mediis præpoſitionibus, E, De, Ex: vt ex Græcis fortiſsimus Achilles. Poteſt etiam habere ablatiuum ex vi exceſſus, vt Achilles Græcorũ fortiſsimus quadruplo.

Hæ ſunt germanæ conſtructiones ſuperlatiuorum, quibus optimi authores quadrifariã ſunt abuſi. Vel cùm poſitiuorũ formã induunt: quale illud Apuleianũ de Deo Socratis, Nullum animal in terris homine poſtremius. Vel cùm ex dictionibus comparando minimè conuenientibus proficiſcuntur, vt ipſiſsimus, patruiſsimus, Plautiniſsimus. Vel cùm minus ſignificãt à ſuo cõparatiuo, vt viro fortiſsimo fortior ſum. Vel cùm ad augendam propriam ſignificationem aliquid extrinſecus aſſumũt: id quod haud ſine maximo fieri vitio poteſt, propterea ꝙ ſuperlatiua ſuapte natura, cùm vltimũ gradũ ſignificẽt, vltra quem progredi minimè licear, nihil eſt, ꝙ particulas illas intẽſiuas adiungamus. Cicero lib. 2. de Finibus, Id apprimè rectiſsimè dicitur.

Colu-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Columella lib. 9. Apis si sæuior, maximè pessima est.

Differentia Comparatiui à Superlatiuo.

Comparatiuus & superlatiuus sex modis differunt, terminatione, significatione, cõstructione, resolutione, modo comparandi, conuersione. TERMINATIONE, Nam comparatiuus terminatur in, Or, & in, us: vt doctior & doctius. Superlatiuus verò in ssimus, rrimus, llimus, ximus, tremus, & sic de aliis. SIGNIFICATIONE, Nam superlatiuus plus significat quàm comparatiuus, cùm ea sit natura superlatiui, vt eò vsque ascendat, vt nullus progressioni locus fiat reliqu⁹: cõparatiuus verò infra metas cõsistat. CONSTRVCTIONE, Nam comparatiuus cum ablatiuo construitur, superlatiuus verò cum genitiuo: in reliquis constructionibus conueniunt. RESOLVTIONE, Nam si comparatiuus sit comparatus, resoluitur per positiuum & magis, vt doctior te, id est, magis doctus. Si sit absolutus, per positiuum tantùm, vt doctior, id est, doctus. Excipitur senior, quod resoluitur per valde & senex. Superlatiuus verò comparatus per positiuũ, maximè, & ex: vt eloquentissimus Oratorum, id est maximè eloquens ex Oratoribus. Absolutus verò per positiuum & valde,

vt

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

vt eloquentiſsimus, id eſt, valde eloquens. MODO COMPARANDI, Nam per comparatiuum fit comparatio ad vnum ſui generis vel diuerſi, & ad plures diuerſi generis vel eiuſdem, cum relatiuo tamẽ diuerſitatis: per ſuperlatiuum verò tantùm ad plures ſui generis. CONVERSIONE, Nam omnis oratio quæ fit per ſuperlatiuũ, conuerti poteſt per comparatiuum cum relatiuo diuerſitatis: vt eloquentiſsimus Oratorum, eloquentior cæteris Oratoribus. At verò quæ fit per comparatiuum, conuerti non poteſt per ſuperlatiuum: nam cùm fit comparatio ad vnum ſiue ſui generis, ſiue diuerſi, item ad plures diuerſi generis, oratio fieri non poteſt per ſuperlatiuum.

De Diminutiuis.

Diminutiua à diminuẽdo dicta ſunt, quòd ſui principalis ſignificationem attenuare ſiue minuere videantur. Circa quæ quatuor potiſsimùm explicabo, quid ſit nomen diminutiuum, quotuplex ſit, quot de cauſis inuentũ, poſtremò de diminutiuorum terminationibus diſſeram.

Quid ſit.

Nomen diminutiuum eſt, Quod ſui principalis diminutionem ſignificat abſolutè. Per principale, intellige dictionem primitiuam à qua formatur, vt à ſoror, ſororcula, à frater

frater-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

fraterculus. Dixi absolutè, ad comparatiuorum differentiam: quia comparatiua aliquando minuunt vim primitiui, sed non absolutè, sed comparatè, vt maiusculus, grandiusculus, meliusculus, plusculùm.

Quotuplex sit.

Nomen diminutiuum duplex est, qualitatis, & quantitatis. QVALITATIS, Quod qualitatem tantùm minuit, vt delicatulus, cãdidulus, putidulus, & reliqua, quæ ab adiectiuis formantur. QVANTITATIS, Quod diminutionem facit quantitatis, vt à liber libellus, à soror sororcula, ab ense ensicula, & quæ formantur à substantiuis. Distribuitur adhuc diminutiuum in proprium, & improprium. Ad proprium & perfectum diminutiuũ tria necessaria sunt, Quòd sui principalis significationem cum diminutione seruet, Quòd formam, Quòd genus. Quòd si significationem seruauerit cum diminutione, non tamen genus, diminutiuum erit, improprium tamen: vt puluisculum à puluere, bacillum à baculo, conuenticulum à conuentu, terebellum à terebra, epistolium ab epistola. Quæ verò genus & formam seruant, non tamen suorum primitiuorum significatum cum imminutione, ea nec propria, nec impropria diminutiua censenda sunt, qualia sunt, auuunculus, musculus, pediculus, acicula, lenticula, &

alia

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

alia id genus, quæ omnia à ſuis primitiuis in ſignificatione degenerant.

Quot de cauſis inuentum.

Fuit autem diminutiuum quatuor de cauſis inuẽtum. NECESSITATIS, vt regulus: non enim eſt aliud nomen, quo eũ magiſtratum explicare poſsimus. ADVLATIONIS SIVE BLANDIMENTI, vt corculum, animula, filiolus. CONTEMPTVS, vt homuncio, argutulus, naſutulus, meretricula. EXTENVATIONIS, vt ingeniolum, opella, munuſculum.

De diminutiuorum terminationibus.

Diminutiua non habent certam rationem qua formari poſsint, exeunt tamen in varias terminationes, quæ ad octo reducuntur.

In ulus, quæ partim ſubſtantiua ſunt, partim adiectiua. Quæ ſubſtantiua ſunt, partim ſunt maſculina, vt fraterculus, piſciculus, vermicul⁹: partim fœminina, vt ſororcula, virgũcula, ſecuricula: partim neutra, vt munuſculum, corpuſculum. Adiectiua vt anniculus, vernaculus, ridiculus.

In, ellus, quæ formantur à nominibus ſecundę declinationis ſiue ſubſtantiuis, ſiue adiectiuis finitis in, er: de ſubſtantiuis, vt à culter cultellus, à liber libellus, à puer puellus: de adie-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

adiectiuis, vt à tener tenellus, à miſer miſellus, à ſacer ſacellus.

In, illus, quatuor ſunt ſubſtãtiua ex ſententia Laurẽtii: duo maſculina, pallus paxillus, talus taxillus: duo fœminina, mala maxilla, ala axilla. His tu adde pugillus. Sunt etiam adiectiua, vt à tantus tantillus, à paruus puſillus.

In, aſter, diminutiua propriè nõ ſunt, quia nõ diminutionẽ, ſed imitationẽ potiùs ſignificãt, vt Philoſophaſter, qui Philoſophũ imitatur: Antoniaſter, qui Antoniũ. Excipiũtur tria, quę vera diminutiua ſunt, ſurdaſter, qui ſurdulis auribus eſt: recaluaſter qui frõte caluus eſt, non toto capite, quaſi recaluatulus: palliaſtrum rude ac vile pallium, qua dictione vſus eſt Apuleius, Ecce Socratem contubernalem meum conſpicio, ſedebat ſciſsili palliaſtro ſemiamictus.

In, io, vt à ſene ſenecio, ab homine homuncio, à quo etiam naſcuntur tria illa, homulus, homunculus, homululus: neq; id mirũ, cùm ab vno diminutiuo formari poſsint & plura alia, vt à parum paulum, à paulum paululũ, à paululum pauxillum.

In, leus, vt equus equuleus. In olus, vt à Sergio Sergiolus, à corona corolla, à pallio palliolum. In, iſcus, vt à pan paniſcus, à Syro Syriſcus: ſed hæc forma eſt à nominibus Græcis.

De

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

LIBER QVARTVS

De Relatiuis.

Suo ordine poſt diminutiua ſequuntur relatiua, quæ à referendo, hoc eſt repræſentando nomen acceperunt, quòd rem antecedentem nobis repræſentare ſoleant. De quibus primo loco explicabimus quidnam ſint, mox ea in ſuas formas partiemur, deinde tam de relatiuis ſubſtantiæ, quàm accidentis ſingulatim agemus.

Quid ſit Relatiuum.

Relatiuum eſt ſignum rei antecedentis repræſentatiuum. Hoc eſt, quod rem antè dictam noſtro repræſentat intellectui, & ad preſentem eius memoriam noſtros animos reuocat. Vnde colliges, relatiuum à re antecedenti pendêre prorſus: nam quemadmodum imago in ſpeculo ab eo pendet, cuius imago eſt, ita relatiuum à re quæ anteceſsit in oratione. Eſt autem illud potiſsimum relatiui munus, vt rem præteritam renouet, & quibuſdam quaſi nodis & articulis orationem ſine faſtidio conſtituat: ne ſi eadem nomina reperendo inculcaremus, oratio prorſus inconcinna atque inuenuſta redderetur.

Quotuplex ſit.

Eſt autem duplex relatiuum, ſubſtantiæ & accidentis: relatiuo accidentis in poſteriorem locũ reiecto, primùm agamus de ſubſtantiæ relatiuo. Eſt igitur relatiuum ſubſtantiæ,

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

tiæ, quod antecedens repręſentat ſubſtantiuum, vt Petrus diſputat, qui loquitur: relatiuum qui, Petrum refert. Hoc autem in duas adhuc formas diſtribuitur, in relatiuum ſcilicet ſubſtantiæ identitatis ſiue ſimilitudinis, & diuerſitatis. Relatiuum ſubſtantię ſimilitudinis eſt, quod antecedens repræſentat ſubſtantiuum, & pro eodem in oratione accipitur. Vt in ſuperiori exemplo, Petrus diſputat, qui loquitur: qui relatiuum eſt ſubſtãtiæ identitatis: primùm, quia reddit antecedens ſubſtantiuum: deinde, quia pro eodem, quod refert, accipitur. Huius autem generis ſeptem ſunt, qui quæ quod, ſui, ſuus, ipſe, ille, is, idem. Relatiuum ſubſtantię diuerſitatis eſt, quod rem diuerſam ab antecedenti ſignificat, non genere, aut ſpecie, ſed numero, vt voluo Vergilium, & alios poëtas: quo exẽplo ſignifico Vergilium Poëtam eſſe, ſed diuerſum à reliquis Poëtis numero tantùm. Huius generis quatuor tantùm ſunt, alius, alter, reliquus, cætera, cæterum. Relatiuum accidentis eſt, quod refert antecedens adiectiuum, vt ego ſum humanus, qualis fuit pater. Huius generis ſunt vndecim, qualis, quãtus, quot, quotus, quotennis, quotennarius, quoteni, quotuplus, quotuplex, cuius, cuias. Diſputemus igitur primùm de relatiuis ſubſtantię ſimilitudinis, deinde de relatiuis ſub-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ſtantiæ diuerſitatis, poſtremò de relatiuis accidentis.

De relatiuis ſubſtantiæ ſimilitudinis.

Inter hæc relatiua primũ locũ tenet quis: quod irregulare eſt, cùm certæ cuiuſdam nõ ſit declinationis. Sortitur autẽ in recto quinque voces, quis, qui, quæ, quod, quid: de quibus pauca quædam quo propoſitæ ſunt ordine dicemus. Quis, maſculini eſt generis, olim tamen fœminini etiam erat pro, quæ. Plautus in Aulularia, Dic mihi ſi audes, quis ea eſt, quam vis ducere vxorem? Capitur interrogatiuè, & infinitè, nunquam relatiuè. Cicero de Amicitia, Quis clarior in Græcia Themiſtocle? quis potẽtior? Plinius Iunior, Tum mihi neſcio quis in aurẽ inſuſurrauit. Capitur etiam admiratiuè. Vergilius. 4. Æneid. Quis nouus hic noſtris ſucceſsit ſedibus hoſpes? Præter hæc capitur pro qualis: tùm in oratione interrogatiua, vt dic mihi quis tibi videor? id eſt, qualis. Tùm in oratione infinita, vt neſcio quis tibi videar, id eſt, qualis. Differt ab vter, nam vter de duobus dicitur, & comparatiuo iungitur: quis de pluribus, & adhæret ſuperlatiuo. Quod Quintilianus libro ſeptimo hiſce verbis docet, Ex duobus vter dignior, ex pluribus quis digniſsimus. Differt etiam à quis, quando eſt vox datiui

ſiue

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ſiue ablatiui pluralis, nã in nominatiuo vox illa breuis eſt, in datiuo longa: item in nominatiuo nunquam relatiuè capitur, in datiuo nihil obſtat quominùs capiatur relatiuè. Vt da operam virtutibus, quîs ineſt plurimum lucis & ornamenti.

Qui, capitur relatiuè: vt video hominem, qui mihi fuit ſemper ſingulare perfugiũ. Interrogatiuè, Terẽtius in Phormione, Nã qui erit rumor populi ſi id feceris? Infinitè, neſcio quis ſis. Capitur pro qualis, Cicero in Antoniũ, Qui vir & quantus fuiſſes, id eſt, qualis. Efficitur aliquando aduerbium pro vnde aut quomodo. Terentius in Andria, Quî ſcis, id eſt vnde. Horatius in Sermonibus, Quî fit Mecœnas, id eſt, quomodo. Eſt aliquando ablatiuus omnis generis, Cicero in Familiaribus, Nemo eſt omnium, quicum potiùs mihi, quàm tecum communicandum putem. Vergilius lib. II. de Camilla, Quicum partiri curas, id eſt, cum qua.

Quæ, capitur relatiuè: vt mulierem video, quæ eſt honeſto vultu, & facie liberali. Interrogatiuè, quæ mulier eſt hæc? Infinitè, neſcio quæ mulier illa ſit. Capitur pro quantus, quę humanitas in eo elucet, id eſt, quãta. Idq; ſolet cõtingere non tantùm in recto, ſed in genitiuo, vt cuius humanitatis, id eſt, quãtę. Itẽ in ablatiuo, vt qua humanitate, id eſt, quanta.

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Quod, tripliciter capitur. Relatiuè, vt consilium quod cepisti, nõ parum attulit tibi vtilitatis. Interrogatiuè, quod consilium cepisti? Infinitè, nescio quod cõsilium capiam. Differt à quid dupliciter. Tũ quia quod, est adiectiuum: quid verò substantiuum, atq; ita genitiuũ regit, vt quid cõsilii capiam prorsus ignoro. Tum etiã, quia quid nũquã capitur relatiuè, sed aut interrogatiuè, vt quid faciam? aut infinitè, vt nescio quid faciam. Fit etiã ad uerbiũ pro, cur, vt quid taces? id est, cur. Quẽ admodum & quod, si in cõpendiũ redigatur, aut virgula quadã supernotetur, efficitur cõiũctio: aut declaratiua cũ subiũctiuo, vt opinor q̃ virtutis studium sequaris: aut causalis cum indicatiuo, aut subiunctiuo, vt gaudeo quòd scribis, aut scribas.

Quæ hactenus diximus, puerilia sunt, si cũ iis quæ supersunt dicenda comparentur, quæ & multò vtiliora, & gratiora vestris animis erunt. Triplicem scilicet esse in nomine relatiuo referendi rationem. Aut enim refert certum aliquod antecedens, nomen videlicet aut pronomen: & tunc cum eo in genere & numero ita conuenit, vt idem prorsus in vtroque appareat & genus, & numerus, ceu dominus qui, virtus quæ, mãcipiũ quod: cuiusmodi exemplorum referta sunt omnia. Aut non vnũ aliquod vel nomen, vel pronomen,

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

men, sed totã aliquam clausulam antecedẽtẽ refert: & tunc in neutro genere ponitur relatiuum, quoniam substantiuum est, semperq; resoluitur per hoc nomen res. Cicero ad Lẽtulũ, Videbatur enim reconciliata nobis voluntas Senatus esse, quod tum dicendo, tum singulis appellãdis perspexeram: quod, id est, quam rem. Idem prorsus iudiciũ est, cùm plures clausulas refert. Plinius Iunior lib. 1. Epistolarum, Est Aciliano facies liberalis, multo sanguine, multo rubore suffusa, est ingenua totius corporis pulchritudo, & quidam Senatorius decor, quæ ego nequaquã arbitror negligenda: quæ, id est, quas res. Tertius postremò referendi modus est interpretatiuus, cùm suum antecedens exponit: in quo relatiuum alicui nomini subsequenti iunctũ sit necesse est, quicum & genere & numero & casu semper conueniat. Cicero ad Atticum lib. 5. Inde ad Amanum contendi, qui mons erat hostium plenus sempiternorum. Idem ad Lẽtulum, Aulus Trebonius confidit his meis literis se apud te gratiosum fore, quæ spes ne eum fallat, vehementer te rogo. De concordia siue discordia relatiui cum antecedenti, nihil loquimur præsenti loco, quoniam peculiari tractatu de ea re copiosus erit sermo.

De Reciprocatione sui, & suus.

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Quoniam ſui & ſuus (quorum alterũ primitiuum eſt, alterum deriuatiuum) pronomina ſunt reciproca, ideo locus hic videtur poſtulare, vt pauca quædam de reciprocatione dicamus: quoniam video viros non vulgariter eruditos nimiùm hac in parte fuiſſe hallucinatos. Eſt igitur reciprocatio, eius quod exierat, in ſeipſum receptio. Quæ fieri ſoleat, cùm his duobus pronominibus ſui, & ſuus vtimur: vt vnuſquiſque amat ſe, vnuſquiſq; res ſuas amat. Dicta eſt reciprocatio, quia ſicut reciprocatur ſpiritus, cùm recipitur, & vnda viciſsim alluens littus, & Euripus ad priſtinum ſubinde curſum rediens, reciprocus eſt: ita hæc pronomina, ad id vnde prodierãt, reuocantur.

Quotuplex ſit Reciprocatio.

Tres ſunt formę reciprocationis, iuxta ſententiã Priſciani. Prima, quæ proprio vocabulo reciprocatio appellatur, Quando pronomẽ primitiuũ ſui in ſeipſum reflectitur, vt vnuſquiſq; amat ſe. Secunda, quæ tranſitio dicitur, Quãdo fit tranſitus à poſſeſſore in poſſeſsionem, vt vnuſquiſque amat res ſuas. Tertia retranſitio, Quando accedente altero verbo, à poſſeſſore in aliã perſonam fit tranſitus, & ab illa ad poſſeſſorẽ, ſi vtamur primitiuo: aut ad poſſeſsionẽ, ſi deriuatiuo. Sit prioris exemplũ, inſtigat me ille, vt ſui potiar: hîc fit tran-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

transitus à possessore in aliam personã, & ab ea ad eundẽ possessorẽ, qa vtimur primitiuo. Sit posterioris exemplum, rogat me ille, vt suus seruus mihi ministret: hîc factus est transitus à possessore in alteram personam, & deinde ad seruum rem possessam, quia vtimur deriuatiuo.

Quando vtendum sit Reciproco, quando non.

His præmissis, doceamus iam quando vtẽdũ sit reciproco, quãdo non: nã hac vna in re est tota argumẽti suscepti difficultas. Distinguamus oportet, nã aut relatiuũ poni debet in simplici aliqua oratione aut in duabus. Si in simplici: aut in ea est vnicum tantùm appositum, aut plura. Si vnicum, & ad suppositũ referatur, reciproci vsus necessarius est: vt Cato amat se: se, ad Catonem refertur, ac propterea reciproco vtimur. Si fuerint plura apposita, aut relatiuum refertur ad suppositum, aut ad alterum ex duobus appositis. Si ad suppositum, siue intercedat coniunctio, siue non, vtemur perpetuò reciproco. De coniũctione media sit exemplum, mater tenerrimè amat filios, & filias suas: non eius, aut ipsius. De sublata coniunctione sit exemplum, tuetur hominem Deus propter bonitatem suam: non eius, aut ipsius. Si verò referatur ad alterum ex duobus appositis & inter

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ueniat coniunctio, nũquam vtemur reciproco, nisi intercesserit nomen adiectiuum, aut participium, vt cepi leonem, & eius catulos, non suos. Dixi, nisi intercesserit nomen adiectiuum, aut participium: quia si fortè interuenerit, tunc vtemur reciproco, vt accepi ab eo epistolam, ceu obsidem sui erga me amoris. Itẽ Christicolæ accepimus à Deo immẽsa beneficia, & filium ad suam imaginẽ genitum. Si verò referatur ad alterum appositũ, & non intercedat coniunctio, tunc vtemur reciproco, vel non, sine discrimine. Vt amo Deũ propter suam bonitatem, vel eius: cepi columbam cum pullis suis, vel eius. Patitur etiam suam exceptionem, quando interuenit pronomen demonstratiuum, aut nomen adiectiuum, aut participium, tunc enim vtuntur Latini reciproco. De pronomine, vt si viso amico dixeris, Reducam illum in domum suam: non eius, aut ipsius. De adiectiuo, vidi colũbam tristem in periculo pullorum suorum. De participio, video agricolam serentem agrum suum.

Si in oratione fuerit præpositio Inter, & nominatiuus vel accusatiuus præcesserit, vtemur semper reciproco. Vt Grammatici quindenis diebus in frequẽti Theatro certant inter se. Item, video Grammaticos inter se certare. Cùm verò antecedit genitiuus, dati-

uus,

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

uus, vel ablatiuus, per pronomen ipse potiùs loquimur. De genitiuo, Cicero primo Officiorum, Latissimè patet ea ratio, qua societas hominum inter ipsos continetur. De datiuo, Idẽ paulo pòst, Latissimè patens hominibus inter ipsos societas hæc est. De ablatiuo, Quintilianus libro decimo, In magnis quoque authoribus incidũt aliqua vitiosa, & à doctis etiam inter ipsos mutuò reprehensa. Aliquãdo authores per pronomen suu, locuti sunt. Terẽt. in Adelphis, Vetus verbũ est, communia esse amicorum inter se omnia. Cicero. 1. Officiorum, Multa sunt ciuibus inter se communia.

Si verò duæ sint orationes, & appositũ posterioris referatur ad suppositum prioris, vtemur semper reciproco: vt amicus importunis precibus postulauit, vt ad seirẽ, non ad ipsum. Cæterùm si referatur ad appositum, non vtemur reciproco: vt amicus in fidem meam filiã tradidit, vt eam marito collocarẽ, non se. Hæc satis sint de reciprocatione. Illud tamen non te fugiat, pronomen suus aliquando capi pro proprius, & tunc reciprocum non esse: & propterea licêre sic loqui, sua est illius natura, suũ est illius ingenium, suus seruus est illi turpiter conuitiatus, sua quenq; capit voluptas. Quomodo loqui nõ licêret, si reciprocè caperetur, nunquam enim reciprocum pronomen antecedenti adhæret. Quocircà qui sic loquere-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

tur, suum filium pater suus amat, suũ seruũ domin⁹ su⁹ loris cædit, ineptè satis & barbarè loqueret: sed sine reciproco in principio, filiũ pater suus amat, seruũ dominus suus loris cædit.

Ipse.

Ipse, pronomen est, quod ad omnes personas refertur: ipse feci, ipse fecisti, ipse fecit. Vnde pronominibus omnium personarum iungi solet, ego ipse, tu ipse, ille ipse, idem ipse, hic ipse. Præterea Emphasim habet, id est, expressionẽ alicuius rei latentis. Terent. in Adelphis, Ipsa si cupiat salus, seruare prorsus non potest hanc familiam. Capitur relatiuè, Idem eãdem Comœdia, Iste tuus, ipse sentiet posteriùs. Interrogatiuè, éstne ipse, qui fecit? Infinitè, nescio an ipse fuerit. Item demonstratiuè, ipse est de quo erat sermo.

Ille.

Ille, capitur relatiuè: nuntius rem affirmauit, & ille planè mentitus est. Interrogatiuè, éstne ille? Infinitè, ignoro an ille fuerit huius author facinoris. Demonstratiuè, ille est tanti mali seminarium. Habet etiam Emphasim, vt diuinus ille Plato, Architas ille Tarentinus. Differt ab hic, nã si diuersa referãt antecedentia, hic rẽ magis propinquã refert, ille magis remotam: vt Plato & Homerus sapiẽtissimi fuerunt, hic in Poësi, ille verò in Philosophia. Interdum tamen excellentissimi illi Latinitatis

pro

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

proceres his pronominibus contrario modo vsi sunt, ita vt hic, ad id quod priori loco posi situm est, referatur: ille, ad id quod posterioré tenet locum. Titus Liuius libr. 30. Melior tutiorq; est certa pax, quàm sperata victoria, hęc in tua, illa in Deorum manu est: hæc ad pacem refertur, illa ad victoriã. Plinius Iunior libr. 1. Epistolarum, Alius excessisse materiã, alius dicitur non implesse, sed ille imbecillitate, hic viribus peccat: hic refertur ad prius periodi mẽbrum, ille ad posterius.

Is, Idem.

Is & idem relatiua etiam sunt, quemadmodum superiora, vt accepit per hæreditatẽ grandem pecuniæ summam, & eam siue eandem paucis diebus dilapidauit. Differunt inter se, teste Laurentio lib. 2. Elegantiarũ cap. 5. Nam is desiderat coniunctionem, vt quãcunque in sedem migrat apum Rex, in eam & apes ipsæ comitantur. Idem habet in se vim quandam copulandi, ac propterea non indiget coniunctione, vt in proposito exemplo: quancunque in sedem migrat apum Rex, in eandem apes ipsæ comitantur.

De Relatiuis substantiæ diuersitatis.

Relatiua substãtię diuersitatis quatuor sunt, alius, alter, reliquus, cętera cęterum: quibus additur à quibusdam residuus. Horum ea est natura, vt genere, numero, & casu cũ subsequen

te

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

te ſemper conueniant, pro quo accipiũtur: deinde vt antecedens referant eiuſdem generis, vel ſpeciei cum ſubſequente, illudque ſub ſe comprehendant neceſſe eſt. Vt expertes rationis equi, boues, & reliquæ pecudes: vbi equi & boues inter pecudes referuntur. At verò ſi ſic loquerêris, expertes rationis equi, boues, & reliquæ aues: falſa eſſet oratio, cũ equi, & boues inter aues nõ referantur. In his enim relatiuis diuerſitatis, præter orationis cõgruitatem, neceſſaria etiam veritas eſt.

Alter, Alius.

Alter & alius differunt. Nam alter ad vnũ de duobus refertur, vt amiſit alterum oculũ: alius ad vnum de pluribus, vt milites interfecti ſunt, alius ſagitta, alius enſe, alius haſta. Aliquando geminatur alter in diuerſo caſu, vt alter alterum contemnit, alter alterum accuſat: non ambo ambos contemnunt, aut accuſant. Alius capitur etiam pro diuerſus, vt alia eſt facies mea, alia eſt facies tua, id eſt, diuerſa. Vnde naſcũtur aduerbia illa, aliâs, aliter, aliôqui, alià, aliò.

Reliquus.

Reliquus, preter vulgatam ſignificationem capitur pro ſupereſt, ſiue relinquo. Vt quãdo tam arcta familiaritate coniuncti ſumus, reliquum eſt, vt officiis certemus inter nos: id eſt, ſupereſt. Item ſpem reliquam nullam video ſa

lutis,

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

lutis, id est, relictam: nihil reliqui fecit fortuna, id est, nihil reliquit.

Cætera, Cæterum.

Cæter in masculina terminatione, aut cæterus non reperitur: quanuis Marcus Cato in Re rustica dixerit cæterus ornatus. In fœminina tamen & neutra, huius vocis frequēs vsus est apud authores: inde cæterùm, cęterò, de cęterò, cæterôqui, aduersantes particulæ. Cicero ad Atticum lib. 14. O loca ceterôqui valde expetenda, interpellantium autem multitudine penè fugienda. Item lib. 1. de natura Deorum, Non enim Poëta suauis, verùm etiam cęterôqui doctus, sapiēsq; traditur. Reliquę particulæ vulgatissimæ sunt.

De relatiuis accidentis.

Vndecim diximus esse relatiua accidentis quæ antecedens habēt adiectiuum: inter quæ primas tenet qualis, quod tripliciter sumitur. Relatiuè, vt talis populus, qualis princeps. Interrogatiuè, vt qualis est istorum oratio? Infinitè, vt nescio quali vtar victu ad salutē. Habet antecedentia, talis: & nomina adiectiua qualitatē significantia, qualia sunt, bonus, malus, sapiens, ignorans, cādidus, niger, clemēs, pius, humanus, & similia: vt hic est humanus, quales parentes eius fuerūt. Per hæc eadem nomina respōdemus ad interrogationem factā per qualis: vt qualis esse debet probi hominis oratio?

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

tio? verecũda, honesta, pudica. Geminatur aliquando qualis qualis, pro qualiscunq;: vt qualis qualis sum, in tuo ære totus sum. Capitur pro quantus. Macrobius libro primo Saturnaliorum, Paruulus, qualem Ægyptii proferunt. Hinc deducitur aduerbiũ qualiter, quod trib⁹ etiã modis vsurpatur: & huius antecedentia sunt, taliter, & aduerbia qualitatem significantia, vt bene, malè, doctè, sapiẽter, vrbanè: per quæ etiam ad huius aduerbii interrogationẽ respondemus, vt qualiter vales? malè.

Quantus.

Tripliciter sumitur quantus. Relatiuè, vt tantus est pater tuus, quantus Pygmęus. Interrogatiuè, quantus est pater tuus? Infinitè, nescio quantus sit pater tuus. Habet antecedentia, tantus: & adiectiua quãtitatem significantia, qualia sunt, magnus, paruus, breuis, longus, latus, angustus, grandis & similia: vt longa est oratio mea, quanta tua. Per hęc eadẽ nomina respondemus ad huius nominis interrogationem, vt quãta est domus tua? magna, aut parua. Solet geminari quantus quantus, pro quantuscunque: vt quantus quantus es, nihil nisi sapiẽtia es. Capitur pro quot. Claudianus de raptu Proserpinæ libro secundo, Quantas truculentior auster decutit arboribus frõdes, id est, quot frondes, siue folia.

Quot.

Quot

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Quot numerum tantùm habet pluralem, & est indeclinabile, referturque ad numerũ. Capitur Relatiuè, vt habeo decem fratres, quot tu non habes. Interrogatiuè, vt quot habitatores incolunt domum hanc? Infinitè, nescio quot habitatores incolant. Habet antecedentia, tot: & nomina numeralia cardinalia, qualia sunt, vnus, duo, tres, quatuor, viginti, centum, mille, & similia: vt tercentum millia militum desiderata sunt in prælio, quot nunquam occubuisse dicuntur. Per hæc eadem nomina respondemus ad huius interrogationem, vt quot milites perierunt in prælio? Vnus tantùm, duo, aut tres, & sic de reliquis. Geminatur quotquot pro quotcunque, vt gratũ me his omnibus præstabo, quotquot me affecerint beneficio. Hinc proficiscitur aduerbium quoties, quod tribus etiam modis capitur. Habet antecedentia toties, & aduerbia numeralia à numeralibus cardinalibus deriuata, semel, bis, ter, quater, quinquies, vicies: vt vicies sedi in sella theatrali dicturus, quoties nemo alius. Per hæc eadem aduerbia respondemus ad huius aduerbii interrogationẽ, vt quoties orationẽ in Theatro Complutensi habuisti? vicies.

Quotus

Quotus relatiuè capitur, vt Rector sedet primo in Theatro, quotus nemo alius. Interro

ga-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

gatiuè, vt quotus ſedes in menſa? Infinitè, vt neſcio quotus ſedi in conuiuio. Habet antecedentia nomina numeralia ordinem ſignificantia, qualia ſunt primus, ſecundus, tertius, vigeſimus, triceſimus: vt ſedeo primus in Eccleſia, quotus tu non ſedes. Per hæc eadem nomina reſpõdebimus, quoties per quotus fuerimus interrogati: vt quotus ſedet Cãcellarius in Theatro? ſecũdus poſt Rectorem. Capitur pro quot, habetque eius redditiua, vt quotus vis cœnare? id eſt, quot? tres aut quatuor. Hoc idem nomẽ iunctũ cum quiſq; numerũ denotat, & capitur interrogatiuè, reſpõdemuſque per hæc nomina, nullus, paucus, rarus: vt quotuſquiſq; inuenietur tãta virtute vir? nullus, aut pauci.

Quotennis.

Sumitur quotẽnis Relatiuè: vt triennis eſt fraterculus meus, quotennis tuus non eſt. Interrogatiuè, quotẽnis eſt frater tuus? Infinitè, neſcio quotennis ſit frater tuus. Quęrit de numero annorum, habetq; pro antecedentibus adiectiua annorũ in ennis, qualia ſunt biẽnis, triennis, quadriennis, vicẽnis, tricennis: vt pater meus tricennis eſt, quotennis tuus nõ eſt. Numeralia cardinalia cum genitiuo annorũ, vt pater meus eſt triginta annorũ, quotennis tuus nõ eſt. Itẽ adiectiua in imus, vt bimus, trimus, quadrim⁹, ſiue bimulus, trimulus, quadrimulus,

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

mulus: vt hic puer est quadrimus siue quadrimulus, quotennis sororcula mea non est. Per hæc eadem nomina respōsum dabimus, quoties quis per hoc nomen interrogauerit, vt quotennis est soror tua? Biennis, duorum annorum, bima siue bimula.

Quotennarius.

Eisdē modis vsurpatur quotennarius quibus & quotennis. Habet antecedentia numeralia finita in, arius, qualia sunt, vicenarius, tricenarius, quinquagenarius, sexagenarius, centenarius: quæ significāt multiplicationem earum rerum, quæ non nominantur: vt lapis cēnarius, non quòd sit centuplus, sed centum librarum: sic homo centenarius, non quòd sit centum geminus, sed centum annorum. Probemus igitur exemplis, quotennarius ea numeralia in, arius, referre: vt auus meus centenarius est, quotennarius tuus non est. Per hęc eadem nomina respondemus ad quotennarii interrogationē, vt quotēnarius est auus tuus? nonagenarius.

Quoteni.

Quoteni vox est in uentu rara, ea tamen vsus est Cicero ad Atticum lib. 12. Nescio quotenorum iugerum. Item Columella lib. 6. Quotena semina iugerum. Capitur Relatiuè, vt Monachi ambulāt bini, quoteni nō Presbyteri. Interrogatiuè, vt quoteni ambulant Mo-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

nachi? Infinitè, nescio quoteni ambulent Monachi. Refert numeralia distributiua, qualia sunt bini, terni, quaterni, deni, per quæ nomina respōdebimus ad quoteni interrogationē: vt quoteni ambulant fratres? bini: quotenas literas accepisti? ternas.

Quotuplus.

Capitur quotuplus Relatiuè, vt habeo duplā portionē, quotupla tibi nō obtigit. Interrogatiuè, quotuplam es sortitus portionē? Infinitè, nescio quotuplam fueris portionē sortitus. Refert numeralia multiplicatiua finita in, plus, quæ significant multiplicationem earum rerum, quæ nominantur: qualia sunt, duplus, triplus, quadruplus, centuplus. Per hęc eadem nomina respondemus ad quotupli interrogationem: vt quotuplum accipiet, qui egētibus suas facultates distribuerit? centuplum.

Quotuplex.

Eisdem modis capitur quotuplex, quibus quotuplus. Quærit de diuersitate, refert adiectiua finita in, plex, deducta à nominibus numeralibus, qualia sunt, duplex, triplex, quadruplex, quincuplex, sexcuplex, quæ significant diuersitatem partium siue materiæ: vt habeo vestem duplicem, quotuplicem tu non habes. Per hęc eadem nomina respondemus ad interrogationem quotuplicis, vt quotuplices sunt orationis partes? octuplices. Inde quotu

plici-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

pliciter, cui respondent aduerbia illa, duplici-
ter, tripliciter, quadrupliciter.

Cuius.

Hoc nomen, cuius, anomalum est, cùm tan tùm reperiatur in nominatiuo, accusatiuo, ab latiuo singularibus, & in accusatiuo plurali. Nascitur à genitiuo cuius, & eius significationem habet in omnibus casibus. Capitur Relatiuè, vt hoc prædium est paternum, cuiũ est & pecus. Interrogatiuè, cuiũ est pecus? Infinitè, nescio cuium sit pecus. Habet antecedentia nomina siue pronomina possessiua, vt hoc pecus est meum, siue paternum, cuia domus non est. Item substantiua siue propria, siue appellatiua in genitiuo posita: vt hoc pecus est Petri, siue patris, cuia non est domus. Per hæc eadem nomina siue pronomina respondebimus ad huius nominis interrogationem, vt cuium est pecus? meum, paternum, patris, Petri.

Cuias.

Nascitur etiam cuias à genitiuo cuius, inflectebatur olim cuiatis & cuiate. Capitur Relatiuè, vt ego Toletanus sum, cuias tu non es. Interrogatiuè, cuias es? Infinitè, nescio cuias sis. Refert nostras, vestras: & nomina gẽtilitia, patriam, nationem, seu professionem significãtia, per quę ad cuiatis interrogationẽ respõdemus: vt cuias es? patria Toletanus, natione

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Hiſpanus, profeſsione Grammaticus.

Actum eſt de relatiuis accidentis, quæ dicuntur identitatis ſiue ſimilitudinis, quia rem antecedenti ſimilem ſignificant. Ac propterea eorum loco ponere poſſumus aduerbia ſimilitudinis: item has duas particulas eiuſmodi, iſtiuſmodi. Vt Orator eſt facundus, ſicut Cicero: eiuſmodi, ſiue iſtiuſmodi eſt Cicero. Sũt & alia diuerſitatis, quæ rem diuerſam ab antecedenti important. Sunt autem duo, alteriuſmodi, aliuſmodi: vt pater honeſtatis eſt ſtudioſus, aliuſmodi eſt filius: mater verecũda eſt, alteriuſmodi eſt filia,

De Patronymicis.

Poſt relatiua occurrunt patronymica: quæ à patēr patròs, quod patrem ſignificat, & óno ma, quod nomen, deducuntur: quia propriè à nominibus patrum trahuntur. Explicemus breuiter, quidnam ſit patronymicũ, quot ſortiatur terminationes, quo pacto formetur.

Quid ſit Patronymicum.

Patronymicum nomen eſt, quod à patre deriuatum ſignificat filium vel filiam, nepotẽ vel neptem, vel aliquẽ ex poſteris. Dixi, quod à patre deriuatum: quia frequentiùs à nominibus patrum promanat, vt à Priamo, Priamides Hector filius Priami. Aliquãdo ab auis paternis, vt Æacides, Achilles nepos Æaci: fuit enim Æacus pater Pelei patris Achillis. Aliquando

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

quando ab auis maternis, vt Atlantiades, Mercurius nepos Atlantis: Maia enim Mercurii mater Atlantis fuit filia. Aliquando à matre, vt Iliades, Romulus filius Iliæ. Interdũ à filiis, vt Meleagris, Althea mater Meleagri. Interdũ à fratribus, vt Phaëtontiades, sorores Phaëtõtis. Postremò à Regibus siue vrbiũ conditoribus, vt Cecropides, Athenienses à Cecrope Rege: Romulidæ, Romani à Romulo primo vrbis Romæ fundatore.

Quot terminationes sortiatur.

Patronymica à nominibus tantùm Græcis formantur, neque enim à Latinis proficisci solent, nisi Poëtæ metricis legibus adacti ea cogantur formare: nam eorum vsus nullus est apud Oratores. Habent quatuor terminationes, quas à Græcis Latini mutuati sunt. Des, vt Priamides, Æneades, quæ masculina sunt, & primæ declinationis. AS, vt Ilias, Pelias. Is, vt OEolis, Theseis, quæ fœminina sunt, & tertiæ declinationis. Sunt alia in Ne, vt Nerine, Adrastine, quæ etiam fœminina sunt, & per primam declinationem inflectũtur vt Penelope.

Quo pacto formetur

Nomina patronymica à nominibus primæ declinationis formãtur à genitiuo, æ, finali mutata in, des: vt ab Æneę Æneades. A nominibus secundæ, si genitiuus finiatur in, i, simpli-

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ci, formantur ab eodem addita, des: vt ab Æaci Æacides. Si in, ii, duplici, posterius vertitur in, a, & additur deinde, des: vt à Menecii Meneciades. Si in, ei, contractum, ab eodem, addita des: vt Peleus Pelei vel Peleï, Peleïdes. Si à nominibus tertiæ, à datiuo, addita, des: vt à Nestori Nestorides.

De aduerbijs Localibus.

Postremum locũ occuparunt aduerbia localia, quæ ideò localia dicta sunt, quòd locum significent, in omniq; locorũ differentia explicanda tota eorũ versetur natura. Exponamus igitur quidnam sit aduerbiũ locale, deinde omnes eius differentias percurramus.

Quid sit aduerbium Locale.

Aduerbium locale est, Quod aliquam loci differentiam importat. Sunt autem sex aduerbia locorum interrogatiua, quibus omnem loci differentiam interrogando comprehendimus, vbi, quò, vnde, quà, quorsum, quousque. Si de loco in quo quærendũ sit, vtimur aduerbio, vbi, siue ab eo composito, vbinam: vt vbi siue vbinam est Antonius? Si verò de loco ad quem, vtimur quò, vt quò proficisceris? Si autem de loco à quo, huic muneri præstãdo deseruiet, vnde, vt vnde venis? Si de loco per quẽ, id præstabit aduerbiũ, quà, vt quà iturus es? Si de loco quem versus, id supplebit, quorsum, vt quorsum rẽdis? Si de loco quem vsq;

id

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

d efficiet quousque, vt quousque iturus es? Has duas postremas locorũ differentias Nebrissensis numerauit inter aduerbia significantia locũ ad quẽ. De singulis igitur aduerbiis, eo ordine, quo proposita sunt, disseramus.

De Vbi, siue Vbinam.

Vbi & vbinam quærunt de loco in quo, & capiuntur tribus modis. Relatiuè, vt ego totã Italiam peragraui, vbi tu nunquam pedem posuisti. Interrogatiuè, vt vbinam fecisti Latinitatis tyrocinium? Infinitè, vbi sit, nescio. Ad interrogationem factam per vbi, aut respondemus per nomina, aut per aduerbia. Si per nomina, aut illa sunt propria, aut appellatiua: si propria, aut inclinantur per primam vel secundam declinationem, aut tertiam. Si per primam aut secundam, ponuntur in genitiuo aduerbialiter: vt si quispiã interroget, vbi est pater tuus? Respondebis Cõpluti, Salmanticę, Toleti, Romæ. Excipiuntur, quæ pluraliter tantùm declinantur, quę licèt primæ aut secundæ declinationis sint, non in genitiuo, sed in datiuo potiùs aut ablatiuo ponẽtur: vt est Athenis, Burgis, Parisiis, Cumis. Si per tertiam, ea collocabimus in datiuo, vt est Carthagini, Tyburi, Prænesti, Hispali. Poëticè tamen ponuntur aliquando in ablatiuo. Horatius primo Epistolarum, Romæ Tybur amem vẽtosus, Tybure Romam. Idem

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

eodem libro, Dum tu declamas Romæ, Prę ne ſte relegi.

Si verò ſint appellatiua, aut propria maiorum locorum, hoc eſt, prouinciarum ſiue regionum, ponentur in ablatiuo mediis præpoſitionibus, In, Sub, Super: vt vbi eſt pater? in foro, in curia, in Italia, in Germania, in Gallia, ſub tecto, ſuper viridi arbore. Licebit etiã ea apponere in accuſatiuo mediis prępoſitionibus, Ad, Apud, Iuxta, Prope: ad forum, iuxta Galliam, prope Germaniam. Quòd ſi per propria virorũ & fœminarũ reſpõdere velis, ea pones in accuſatiuo cũ Apud, vel in ablatiuo & Cum: vt vbi cœnaſti? apud Petrũ, id eſt, in domo Petri, vel cũ Petro, id eſt, ſimul cũ Petro. Sũt tamẽ ſeptẽ nomina appellatiua, quæ propriorum rationem ſequuntur, ponunturque aduerbialiter ſicut illa ſuperiora: ea ſunt, togę, militię, domi, ruri, belli, humi, terræ. Cicero. 5. Tuſculanarum quęſtionum, Quorum virtus fuerat domi militięque cognita. Silius Italicus lib. 8. Idem vt turbarum ſator, atque accendere ſolers inuidiam, prauuſque togæ. Cicero pro Cluentio, Fortè euenit, vt ruri in Priuernate eſſemus. Horatius primo Epiſtolarum, Me primis vrbis belli placuiſſe domique. Sic etiam humi iacêre, & terræ condere, pro intra terram.

Notabis tamen, authores aliquando per

ablatiuum

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ablatiuum fuisse locutos, domi siue in domo, ruri siue rure aut in rure, togæ & belli, siue toga & bello: nam hæc nomina non adeò sunt his regulis obnoxia, vt non suo iure, hoc est, in morem appellatiuorum, plerunque construantur. Notabis etiam, genitiuum domi nõ coniungi nisi cum quinque pronominibus, meæ, tuę, suæ, nostræ, vestræ, & vno nomine alienę. Si cętera iungas adiectiua, loquêris per ablatiuum, vt habito in domo publica, priuata, honesta, infami, materna, paterna. Si adiungas substantiua, ea collocabis in genitiuo, vt ego erã domi Cæsaris, domi Põpeii, domi huius, aut illius. Notabis postremò, nomina propria aduerbialiter poni in oratione: non quòd aduerbia sint, sed ꝓ natura fungantur aduerbiorum: nam neque aliunde reguntur, neque adiectiuorum consortium admittunt, neque præpositionem recipiunt, quæ omnia aduerbiis propria sunt, & peculiaria. Quanuis his contraria ab authoribus factitata fuisse sæpissimè videamus, nos tamẽ de vsu, non de abusu loquimur. Cicero ad Atticum libro decimosexto, Malo cum timore domi esse, quàm sine timore Athenis tuis. Liuius lib. 29. Scipio Syracusas nondum tranquillas venit. Itẽ Cicero in Philippicis, Profectus ad Murinam est. Idẽ in Familiaribus, Cùm ab Athenis proficisci in animo haberem: & alia sexcenta sunt

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

exempla, quæ breuitatis causa prætermitto. Si verò per aduerbia velis respondêre, vtêris his, hîc, isthic, illic, sicubi, necubi, alicubi, & similibus.

De Quò.

Quò quærit de loco ad quem. Capitur Relatiuè, vt nullus est orbis angulus tam reconditus, quò huius fama non peruenerit. Interrogatiuè, quò proficisceris? Infinitè, quò proficiscaris nescio. Ad interrogationem per quò, aut respondemus per nomina, aut per aduerbia: si per nomina, aut propria, aut appellatiua. Si propria sint, cuiuscunque fuerint declinationis & numeri, ponuntur in accusatiuo absque prepositione: vt siquis roget, quò proficisceris? Respondebis, Complutũ, Salmanticam, Romam, Burgos, Athenas. Si sint virorũ propria, locantur in accusatiuo cum, ad, vt ad Petrum, ad Ioannem.

Si sint appellatiua, aut propria regionum siue prouinciarum, ponuntur in accusatiuo cum præpositione, In, vel, Ad: vt ad ciuitatẽ, ad agrum, in syluam, in Galliam. Excipiuntur duo appellatiua, rus, & domus: quæ normam propriorum sequuntur, & in accusatiuo collocantur sine præpositione: vt eo rus, domũ. Nec te perturbet, si videris aliquãdo præpositiones appositas esse nominib⁹ propriis, vt in eo Ciceronis in Verrinis, Hodie Verres ad

Messanam

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Messanã vẽturus erat. Itẽ in illo Cęsaris in. 6. de bello Gallico, Consilium in Lutetiam Parisiorum transfert. Nos enim de his pręcepta tradimus, quæ sunt ab authoribus frequẽtiùs vsitata. Si verò respõdeas per aduerbia, respõdebis per ea quæ significant locũ ad quẽ: qualia sunt, Huc, isthuc, illuc, siquò, nequò.

De Vnde.

Vnde significat locum à quo. Capitur Relatiuè, vt ab vrbe veni tribus horis, vnde tu eodem temporis spatio nunquam venire potuisti. Interrogatiuè, vnde venis? Infinitè, nescio vnde venias. Ad interrogationem per vnde, aut respondemus per nomina, aut per aduerbia: si per nomina, aut propria, aut appellatiua. Si sint propria, ponuntur in ablatiuo sine præpositione, cuiuscunque fuerint declinationis, & numeri, vt vnde venis? Toleto, Salmantica, Burgis, Parisiis. Quòd si sint propria virorum, ponuntur in ablatiuo cum à, vt vnde venis? à Petro, id est, à domo Petri.

Si verò respondeamus per appellatiua, aut propria prouinciarum, ea ponemus in ablatiuo, interiectis his prępositionibus, à, ab, è, ex, de. Vt à Tyberi, ab Olympo, è prędio, ex Italia, de vrbe. Excipiũtur duo appellatiua, rus, domus: quę in ablatiuo sine prępositione ponũtur more ppriorũ, vt rure, domo. Si per aduerbia respõdere placeat, respõdebis per ea quæ significant

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ſignificant locum à quo: qualia ſunt, hinc, iſthinc, illinc, alicunde, necunde, ſicunde, & ſimilia.

De Quà.

Quà quærit de loco per quẽ. Capitur Relatiuè, vt ego hàc profectus ſum, quà tu non. Interrogatiuè, quà iturus es? Infinitè, neſcio quà ſis iturus. Ad interrogationem per quà, aut reſpondemus per nomina, aut per aduerbia: ſi per nomina, aut per propria, aut per appellatiua. Si per propria, cuiuſcũque ſint declinationis & numeri, loquemur per ablatiuum, vt Roma, Toleto, Burgis, Pariſiis. Si per appellatiua, aut propria prouinciarum, per accuſatiuum, cum Per: vt per forum, per Galliã, per Germaniam. Excipiũtur rus, domus, quæ in ablatiuo ponũtur more propriorum. Si per aduerbia, per ea reſpondebis quæ ſignificant locũ per quem, qualia ſunt, hâc, iſthâc, illâc, ſiquà, nequà, rectà.

De Quorſum.

Quorſum quęrit de loco, quem verſus. Capitur Relatiuè, vt tendo Complurum verſus, quorſum tu non tendis. Interrogatiuè, quorſum tendis? Infinitè, ignoro quorſum tua verba tendant. Ad interrogationem per quorſum, aut reſpondemus per nomina, aut per aduerbia. Si per nomina, ſiue propria ſiue appellatiua ſint, per accuſatiuum cum verſus

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

ſus reſpondebimus. Vt quorſum tendis? Megaram verſus, Italiam verſus. Item cum prępoſitione, Ad, in principio: ad Cordubam verſus, ad Germaniam verſus. Si per aduerbia, per ea quæ finiuntur in orſum reſpondebis: qualia ſunt, horſum, iſtorſum, illorſum, ſiniſtrorſum, dextrorſum, ſurſum, deorſum, & ſimilia.

De Quouſque.

Quouſque quærit de loco quem vſque. Capitur Relatiuè, vt iter feci Toletum vſq; quouſque tu non feciſti. Interrogatiuè, quouſque iter feciſti? Infinitè, neſcio quouſque iter feceris. Ad interrogationem per quouſq; aut reſpondemus per nomina, aut per aduerbia. Si per nomina ſiue appellatiua, ſiue propria, loquemur per accuſatiuum cum præpoſitione, vſque: quę ſemper poſtponitur, quemadmodum & verſus, vt quouſque iter feciſti? Italiam vſque, Romam vſque. Item per vſque &, ad: vſque ad Numantiam, vſq; ad Cumas. Si per aduerbia, per ea quæ terminantur in, vſq;, reſponſum dabimus, qualia ſunt, hucuſque, iſthucuſque, illucuſque, & hactenus. Atque de aduerbiis localibus hęc quidem ſatis. Si in his in quartũ Nebriſſenſis commentariis quid præcepimus, quod ex ſtudioſæ iuuentutis vſu eſſe poſſit, in Deum optimum maximum, ceu in bonorum omniũ fontem

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

fontem referatur. Si verò inter dictãdum, verbum aliquod temerè excidit, in quo aliqua falsitatis species eluceat, nobis adscribatur: qui cùm homines simus, non possumus humanæ ignorationis legibus non esse subiecti.

Finis commentariorum in librum Quartum Nebrissensis.

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte

Ministerio de Educación, Cultura y Deporte